

SYNODVS
DIOECESANA.

Celebrata ab Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino D. Hieronymo de Veniero, & Leyua, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopo, & Abbate Metropolitanæ Ecclesiæ Ciuitatis Montis Regalis, eiusdemq; Ciuitatis, & Status Domino temporali, Habitus Sancti Iacobi de Spata, Regio Consiliario.

Die xij. Mensis Septembris M. DC. XXII.



In Monte Regali, Apud Angelum Orlandi. 1623.
Superiorum Permissu.

SYNODVS DIOECESANA

[illegible]

[illegible] Septembris M.DC.XXIII.





[illegible] Apud Angelum Orlandi. 1623.

Superiorum Permissu.



IN NOMINE

SANCTAE

ET INDIVIDVAE

TRINITATIS

PATRIS, ET FILII, ET

SPIRITVS SANCTI.



OS Don Hieronymus de Veniero, & Leyua Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Metropolitanæ Ecclesiæ Ciuitatis Montis Regalis, Habitus, & militiæ Sancti Iacobi de Spata, Regius Consiliarius. Dilectis filijs in synodo Diœcesana legitime congre-

gatis, vniuerso clero, & populo nobis subiecto ad Fidem catholicam profitendam, docendam, ad Sacramenta Ecclesiæ ritè administranda, ad fori Iuditialis formam præscribendam, ad debita coercenda, hæc omnia, & singula decernimus, statuimus, ac mandamus.

DE FIDE CATHOLICA.

PARS PRIMA.

Cap. I.



VM Fides, sine qua impossibile est placere Deo, radix sit omniũ bonorum, & totius spiritualis ædificij fundamentum; & cum iuxtà doctrinam Apostoli, non solum corde credendum sit ad iustitiam, sed ore etiam confessio fieri debeat ad salutem, Synodus nostra à fidei professione initium sumendum esse duxit; ideò Sacrum Concilium Tridentinum, summorumq; Pontificum auctoritatem sequuti, decernimus, atque mandamus omnibus, & singulis hic præsentibus, qui beneficia Ecclesiastica obtinuerunt, vt in manibus nostris, vel Vicarij nostri Generalis fidei professionem emittant, iuxtà constitutionem fœl. record. Pij Papæ IV. cuius tenorem inferius adnotabimus.

Cõc Trid. sess.6. c.8.

Ad Rom. c. 10.

Cõc.Trid. sess.25. c. 2. de Refor.

In posterum, omnes, qui beneficia curam animarum habentia obtinuerint, intra duos men-

Cõc.Trid. sess.24. c 12.de Refor.

menses à die adeptæ possessionis, iuxtà præscriptum dicti Concilij professionem fidei emittãt, quoties illis prouisum fuerit; atque etiam illi, qui beneficia curam animarum habentia permutabunt.

dicta sess. 24. c. 12. Prouisi autem de canonicatibus, & dignitatibus, coram Nobis, seu Vicario nostro idem præstare teneantur, antequam possessionem adipiscantur: secus prouisi, fructus non faciant suos; neque illis possessio suffragetur: eadem fidei professio fiat in plena Synodo Diœcesana ab omnibus, qui Synodo interesse debebunt.

Pius IV. in Cõ. quæ incipit In Sacrosancta. Quam quidem fidei professionẽ teneantur etiam vt suprà emittere, qui grammaticam, & quamcumque aliam liberalem artem publicè, seu priuatim doceant; & omnes publici, seu priuati Sacræ scripturæ Lectores: Medici pariter, & Chirurgiam publicè exercentes.

quæ incipit, Supra Gregem. Qui Medici tùm Physici, tùm Chirurgici teneãtur etiam iuxtà constitutionẽ Pij Papæ V. cum primum ægrotos visitauerint, eis necessariam esse suorum peccatorum confessionem persuadere; quod si per tres dies ægroti facere *Cap. Cum infirmitas de pœnit. & remiss.* neglexerint, vlterius eos nõ visitent: secus autẽ, vltrà pœnas in constitutionibus Innoc. III. contentas, q[illegible]s incurrunt, etiam alijs à Nobis mulctabuntur.

Prædicatores quoque quamuis vigore Bullæ Pij Papæ IV. antequam prædicationis munus exerceant, ad professionem fidei faciendam non videantur teneri, cum tamen vigore Consilij Tridentini ibi contradicente Episcopo) possit Episcopus ab ijsdem hanc fidei professionem exigere; ideo omnes prædicatores in nostra diœcesi prædicaturos hortamur, vt in principio suarum prædicationum hanc fidei professionem emittere non dedignentur. Sess. 24. c. 4.

FORMA PRAEFATAE PROFESSIONIS FIDEI Cap. II.

EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia vtitur; videlicet: Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem Cœli, & Terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum, filium Dei vnigenitum; & ex patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis, & incarnatus est de Spiri-

tu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas; Et ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos; cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas; Et vnam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum; & vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item sacram scripturam iuxtà eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpetratione Sacrarum Scripturarum admitto, nec eam vnquam, nisi iuxtà vnanimem consensum Patrum accipiam, & interpetrabor. Profiteor quoque verè, & propriè Sacramenta nouæ legis septem esse à Iesu Christo Domino nostro insti-

tuta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria; scilicet, Baptismum, Confirmationem, Euchari-stiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctio-nem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre; & ex his, Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine Sacrile-gio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supra-dictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Om-nia, & singula, quæ de peccato originali, & de Iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt ample-ctor, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo, verum, proprium, & propitia-torium Sacrificium pro viuis, & defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem, vnà cum Anima, & Diuinita-te Domini nostri Iesu Christi; fieriqùe con-uersionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ Vini in Sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia transubstan-tiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Chri-stum, verumque Sacramentum sumi. Con-

ſtanter teneo Purgatorium eſſe, Animaſquè ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari: ſimiliter & Sanctos vnà cum Chriſto regnantes, venerandos, atque inuocandos eſſe; Eoſque orationes Deo prò Nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiſſimè aſſero imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe; atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe; illarumque vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco; Romanoque Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac iuro. Cætera item omnia à Sacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor; ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem,

dem, extrà quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eamdemque integram, & inuiolatam vsque ad extremum vitæ spiritum (Deo iuuante) retineri, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum. Sic me Deus addiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

DE VERBI DEI PRAEDICATIONE

Cap. III.

CVpientes sanctam prædicationem fructum fidelibus afferre; vt oues, quæ pereunt congregentur: monemus, ac in Domino hortamur omnes prædicatores, vt in eorum sermonibus plebem salutaribus verbis, & sanctorum Patrum exemplis pascant: articulos fidei populo saluti propriæ necessarios scitu esse declarent: vitia, quæ declinare debet, & virtutes, ac Dei mandata, quæ fouenda, & obseruanda sunt, generaliter, ac modestis verbis prædicent. Concionatores omnes, siue sæculares, siue Regulares sint, coram Archiepiscopo se præsentent, & ab eo benedictionem obtineant: si Regulares sint, & in Ecclesijs sui ordinis prædicaturi, vt examinentur cogi non possunt.

Con. Trid. sess. 24 c. 3.

Con. Trid. sess. 5. c. 2.

sunt. Ab alijs verò sedulò per nostros examinatores perquiratur, an sanam de peccato originali, de iustificatione, de Sacramentis, de reliquijs, ac veneratione Sanctorum catholicam sententiam teneant, idoneamque scientiam, ac peritiam ad id munus obtineant. In nostra Diœcesi neminem cuiusuis ordinis ad prædicationem Vicarij, aut Archipresbiteri admittant; si nostram in scriptis ad id licentiam eis non ostenderint. In Monasterijs verò Sanctimonialium prædicandi non prosit nostra generalis concessio, si specialem his in locis prædicandi licentiam adepti non sint.

Sæcularibus, qui prætextu Eleemosynas quærendi in publicis plateis prædicant, aliquas sanctorũ imagines populo proferentes, de Sanctis prædicare prohibemus; sed tantũ eleemosynas petere, imagines Sanctorũ distribuere si voluerint; ijs tamen prius examinatis per Vicarium loci, licentiam eis concedimus.

Dum concio habetur in Ecclesia, sacrificium Missæ in eadẽ Ecclesia non fiat. Virorũ, & mulierũ loca, quantũ fieri potest, etiã tabulis distinguãtur. Neminem paupertatis nomine populo commendent absque Archiepiscopi, seu Vicarij Generalis, in Diœcesi autem Vicariorum foraneorum licentia, eleemosynam ad fores Ec-

clesiæ

clesiæ petatur, vel ita vt sacra concio impediatur. Noctis tempore à Solis occasu, vsque ad solis ortum prædicari, districtè sub pœna interdicti prohibemus.

DE OFFICIO PAROCHI
CAPVT V.

ECclesiarum Parochi, & Curati prædicandi munus ad eos spectare cognoscant; quod si legitimè impediti, id exequi minimè possunt; saltem Dominicis, & solemnibus diebus festis cum breuitate, ac facilitate sermonis, populo diurnum Euangelium moraliter explanent. Festa subsequentia, illorumque obseruantiam, dies ieiuniorum, & abstinendi ab esu carnium annuncient; vt Sacrosancto Missæ Sacrificio Dominicis, & festiuis diebus sub pœna peccati mortalis deuotè intersint. Admoneant parentes, ac patres, matresque familias hortentur, vt filias, puerosque Dominicis diebus hora antè Vesperas, signo campanæ dato, ad Ecclesiam adeundam compellant, quò Christianæ doctrinæ summam, fidei rudimenta, seu articulos, Orationem Dominicam, Decalogi præcepta, Ecclesiæ Sacramenta ediscant, memoriæ committant, ac recitent. Peccata item mortalia cognoscere, ac abhorrere, ea demum

Conc Tri. sess. 5 c. 2. & sess. 24 c. 4.

Cap. omnis utriusque sexus de pænit. & remis.

callere, quæ animarum saluti maximè sunt necessaria, edoceant. Studeant etiam Curati, vt in principio Aduentus, & Quadragesimæ fidelibus denuncient, ex præcepto, saltem semel in anno, eos teneri sua peccata confiteri, & ss. Eucharistiæ Sacramentum in propria parochia sumere; Nisi verò hoc tam salutare, ac necessarium præceptum impleuerint, excommunicationis pœna eos feriendos comminentur. Bis autem saltem in anno, in die Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, & Paschæ Resurrectionis, hoc facere sanctius, & laudabilius esse, vt Deo gratiores sint aperiant. Curandum præterea Parochis est, vt plebem sibi concreditam instruant, atque vt non solum fidei Catholicæ articulos quilibet ratione pollens percipiat; sed etiam eos explicitè, qui solemnizantur ab Ecclesia: præcipuè verò Mysterium Santissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Iesu Christi. Sit autem Parochus vitæ irrepræhensibilis, neuè vllam suis subditis offensionem præbeat; Cathechismum Romanum præ manibus habeat, cuius ope, tum Sacramentorum ritè administrandorum rationem perfectam; tum etiam conciones quasdam habeat, quas populo sibi concredito deinde proponat. Edictum generale, quod in principio Quadragesimæ in

mæ in

mæ in noſtra Metropolitana Eccleſia promulgatur, in ſuis etiam Eccleſijs promulgandum pro tempore procurent. Nullus prætereca Curatorum huius Ciuitatis, & Diœceſis audeat nuptias benedicere, aut ſubarrare ſinè apodicibus Archidiaconi; in Diœceſi vero Proarchidiaconorum, vt conſuetum eſt, per eoſdem præſtari; quod ſi quis aliter fecerit, puniatur.



DIES FESTI, QVI IVRE VEL CONSVETVdine ab omnibus obseruari præcipiuntur.

IANVARIVS.

1 Circumcisio Domini.
6 Epiphania Domini.

FEBRVARIVS.

2 Purificatio B. Mariæ Virginis.
11 Castrensis Episcopus, & Patronus huius Ciuitatis.
24 Matthias Apost. in Bissest. 25.

MARTIVS.

21 Benedictus Abbas. in ciuitate tantum.
24 Annunciatio Beatæ Mariæ Virginis.

APRILIS.

25 Marcus Euangelista, in Ciuitate tantum, quo die Metropolitana Ecclesia fuit dedicata.

MAIVS.

1 Philippus, & Iacobus Apost.
3 Inuentio S. Crucis.

IVNIVS.

24 Natiuitas S. Ioannis Baptistæ.
29 Petrus, & Paulus Apost.

IVLIVS.

25 Iacobus Apost.

AVGVSTVS.

10 Laurentius Martyr.
15 Assumptio B. Mariæ Virginis.

24 Bar-

24 Bartholomæus Ap.

SEPTEMBER.

8 Natiuitas B. Mariæ Virginis.
21 Matthæus Apost. & Euangelista.
29 Dedicatio S. Michaelis Arch.

OCTOBER.

28 Simon & Iudas Apost.

NOVEMBER.

1 Festum omniũ Sanctorum.
2 Commemoratio omnium fidelium defunctorum vsque ad meridiem.
11 Martini Ep. & Cõf.
18 Anniuersarium Regis Guilielmi in Ciuitate tantum, vsque ad meridiem.
30 Andreas Apost.

DECEMBER.

21 Thomas Apost.
25 Natiuitas Domini nostri Iesu Christi
26 Stephanus Prothomartyr.
27 Ioannes Apostolus & Euangelista.
28 Innocentes Mart.
31 Siluester Papa, & Confess.

FESTA MOBILIA.

Pascha Resurr. Domini nostri Iesu Christi cũ duobus diebus proxime sequentibus.
Ascensio Domini nostri Iesu Christi.
Pentecoste cum duob. diebus proxime seqq
Solemnitas sanctissimi Corporis Domini.
Omnes dies Dominici.

CVm ex antiqua, & approbata consuetudine in Ciuitate, & Diœcesi Montis Regalis Archidiaconi munus sit; vt festa secundum Kalendarium in numerum redacta custodiantur; Eidem mandamus, vt omnibus postpositis humanis affectibus, omni diligentia, festos, & præcipue Dominicos dies, in tota Diœcesi obseruandos diligenter curet; contemptoresque certa pœna, quoties deliquerint, iuxta statuta, & obseruationes sibi traditas, puniantur.

DE DOCTRINA CHRISTIANA
Cap. V.

VT quæ circa initia fidei tradenda à Tridentino Concilio decreta fuit, in nostra hac Ciuitate, & Diœcesi inuiolate obseruentur: præcipimus, & mandamus, vt singulis Dominicis, alijsque festibus diebus, qui Ecclesiæ præcepto agi solent; Curati, aut qui ad hoc munus per Archiepiscopum electi fuerint, pueros per Clericos in hac Metropolitana Ecclesia, & puellas per earum Magistras in Ecclesijs destinatis fidei Rudimentis instituant, moneantque Deo primum, secundum vero parentibus, ac maioribus obedientiam præstandam esse.

Itaque à prandio statuta hora propriæ campanæ sono, ad pueros conuocandos dato, in Ecclesia

ecleſia clara voce, diſtinctis verbis, pueri hinc inde diſpoſiti, præcipua doctrinæ Chriſtianæ capitula, & fidei Symbolum, reliquaſque orationes ediſcant, ac recitent, quæ ſalua religione ignorare non poſſunt.

Confeſſarij grauiſſimam pœnitentiam iniungant, & Concionatores diuinam vltionem denuncient patribusfamilias, & Dominis, qui omnem conatum non adhibuerunt, vt ſui liberi, & famuli frequentes in Eccleſiam conueniant, & Chriſtianæ doctrinæ inſtitutiones addiſcant.

Et, vt vehementius homines ad tam ſalubre opus excitentur, & doctrinæ Chriſtianæ maior in dies progreſſio fiat, curabimus, (Deo auxiliante) vt omnes Clerici Seminarij, qua hora diuinis officijs non ſunt adſtricti, præfectos adiuuent ad pueros doctrina Chriſtiana erudiendos; quod ſi ſecus fecerint, arbitrio Superiorum puniantur.

DE LIBRORVM VSV, ET SACRARVM Imaginum.

Cap. VI.

CVm ab hæreticorum ſuſpectorum libris venenum mortiferum ad fidelium perniciem ſæpe emanarit; nemo audeat legere, aut Conc.Trid. ſeſſ.4.

penes

penes se retinere cuiusuis generis libros in indice Romano, alijsque Apostolicis decretis prohibitos, idemque sub pœnis, & censuris in Bulla Pij Papæ IV. alijsque contentis.

Qui incipit dominici gregis.

Et ne ex ipsius indicis imperfecta notitia, vel ex modo, quo vsu recipitur, & obseruatur, multi libros prohibitos, vel suspectos ignoranter penes se habeant: Monemus omnes, & singulos, vt à præsentis Synodi publicatione post quindecim dies indicem omnium, & quorumcumque librorum, quos penes se habeant, Vicario nostro tradere teneantur: qui in eosdem remedijs opportunis animaduertet, sub pœnis arbitrio nostro bene visis.

Historias Martyrum, illarumque actiones aut Christi Domini passionem, tum in sacris, tum in profanis locis fieri, aut repræsentari omnino prohibemus, absque nostra, seu Vicarij nostri licentia in scriptis obtinenda, sub pœnis arbitrio nostro bene visis.

Nemo etiam vendere opuscula quædam, quæ historiæ vulgo nuncupantur; aut quosuis alios cuiusuis generis libellos audeat absque nostra, seu Vicarij nostri licentia prius obtenta: sub graui pœna arbitrio nostro infligenda.

Christi Domini, Deiparæ Virginis, & aliorum sanctorum imagines, quæ templis habenda

dæ, ac retinendæ ſunt ex Concilio Trident. decreto, vt illis debitus honos, ac veneratio tribuatur, nullo modo affigantur in locis; quæ picturæ deformitatem, ac corruptionem aliquo temporis ſpatio patiantur; multo minus in loco vllo ſordido, ac luculento.

Seſſ. 25. de Rel. quæ ſit, & venerat. Sanct.

Vt ſanctiſſimo Crucis vexillo debitus cultus, ac veneratio tribuatur, abuſuſque, ſi qui forſan hactenus irrepſerunt, tollantur, præcipimus ne ſanctæ crucis ſignum locetur, vbi pedibus conculcari poſſit, aut varijs ſordibus inquinari, neque in locis ſordidis, aut contemptibilibus pingatur, ſculpatur, aut imprimatur.

DE PROHIBITA COMMESSATIONE, DORmitione, & commercio cum infidelibus.

Cap. VII.

NE Chriſti fideles inter gentes, quæ Deũ ignorant, miſceantur, & opera eorum ediſcant; familiaritatem cum infidelibus nimiã eos inire nolumus, præſertim in conuiuijs aſſiduis, & commeſſationibus. Non enim fieri poteſt, Salomonis teſtimonio, quin picis contactu manus coinquinentur. Caueant igitur fideles, ne ſimul cum infidelibus habitent, nec ad eorum conuiuia accedant, nec eos ad ſua inuitent, ab eis medicinam non recipiant, nec ad mor-

Cap. Nullus. Cap. Omnes. 28. q. 1.

bos curandos eos accersant; nec denique cum illis commune quicquam habeant: sed quantū fieri potest in omnibus eorum commercio, conuictuque abstineant.

Cap. si quis. 28. q. 1.

Qui vero fidelis cum infideli, vel contra, infidelis cum fideli concubuerit, pœnas sacrorum Canonum, & alias arbitrio nostro infligendas se nouerit incurrisse.

Quia vero fidelium nonnulli Christianæ pietatis parum memores, ab eis mutuo, vel ad vsurám accipientes, impudenter, ac temere ea, quę Christiana Religio sanctissime veneratur, ac colit, cuiusmodi sunt sacræ cruces, sanctorumque aureæ, vel argenteæ imagines, ac statuæ, Agnus Dei, ac similia, infidelibus futura ludibria pignoris loco tradere audent. Nos eiusmodi facinus Christiano zelo abhorrentes, districte singulis nostræ Diœcesis fidelibus inhibemus, ne deinceps huiusmodi sacra infidelibus pignoris prætextu concredant. Quod si quisque id committere ausus fuerit, tum pignoribus priuandum, tum alijs pœnis seuerissime se puniēdum intellligat.

DE BLASPHEMIA.

Cap. VIII.

Leu. 24.

POst detestabilem hæreticorum incredu-

litatem

litatem, & impietatem, quam detestabile sit, perniciosum, impium, maximeque puniendũ blasphemiæ scelus omnibus sceleribus etiam grauissimis præferendum; propter quod fames pestes, & bella, aliaque Dei iusta flagella hominibus infliguntur, nemo est, qui ignoret: Nos igitur, vt tantæ impietati aliquo modo occurramus, constituimus, vt Leonis X. Pij V. constitutiones contra blasphemos publicos inuiolate seruentur. Quapropter decernimus, vt quicunque Laicus siue Clericus Deum, ac Dominum nostrum Iesum Christum, & gloriosam Virginem Mariam eius genitricem blasphemauerit, nec non Sanctis maledixerit, ac verbis contumeliosis eos affecerit, ac Dæmonem sanctum appellauerit, pœnis Archiepiscopi arbitrio, pro blasphemiæ qualitate, subijciatur.

Aub. vt non luxurientur.

In foro autem conscientiæ his, qui blasphemauerint, nec non sanctis maledixerint, ac verbis contumeliosis eos affecerint, pro modo culpæ pœnitentiã Confessor iniungat; & qui blasphemantem aliquem audierit, vt intra triduũ illum apud iudicem Ecclesiasticum deferat, hortamur. Seruos autem, ac etiam ministros blasphemantes aspere obiurgare eorum Domini teneantur. qui si semel, ac iterum moniti non resipuerint, domo expellantur.

Præfecti: Curati, & Concionatores, sæpe (prout opus est) illam decem annorum indulgentiam in memoriam reuocent; quam summus Pontifex Leo X. in vltimo Lateranensi Concilio, toties cuilibet concessit, quoties aliquem blasphemantem denunciarit.

DE MALEFICICIIS, EORVMQVE EXORcismis, diuinationibusque tollendis.

Cap. IX.

MAleficia, Veneficia, Diuinationes, Sortilegia omnia, vt simplicium offendicula, & perniciosæ fidelium pestes è societate fideliũ exterminandæ sint. In huiusmodi igitur sortilegos, maleficos, diuinatores, & cuiusuis generis magos, qui tacite, vel expresse pactiones cũ dæmonibus initas impie retinent, & obseruant: qui ligaturis, nodis, characteribus, & perniciosis, occultisque verbis mentes hominum perturbare, ac dementare, morbos inducere, vel expellere, corporum figuram, & constitutionem immutare, thesauros absconditos coram monstrare, atque incantationibus imperare se posse credunt, aut alijs pollicentur, seuerissime iuxta veterum Canonum decreta Nos animaduertimus. Idemque agimus in eos, qui vel ossibus mortuorum, vel ex corporum lineamentis fu-

tura

tura prædicere profitentur. In eos etiam, qui huiuſmodi diuinatores, ſortilegos, ariolos, & id genus Magos de aliqua re conſuluerint, vel vt conſulerentur, cuique auctores, vel adiutores, hortatoreſque fuerint, vel eis fidem habuerint, ſeuere animaduertimus; & ſi à talibus non abſtinuerint; excommunicationis vinculis coercendos duximus.

Sacerdos, aut clericus exorciſta vexatos à Dæmone exorcizaturos memor in primis eſſe debet Chriſti Domini verborum: nimirum, hoc genus Dæmoniorum non eijcitur, niſi in oratione, & ieiunio; nec facile credat quempiam obſeſſum, ſed nota ea probatis auctoribus habeat ſigna, energumeni vitam, mores, actioneſque perquirat, ac exploret, medicumque, ſi expedire conſueuerit, conſulat. Aduertat plurimum artes, ac deceptiones, quibus vtitur Dæmon ad exorciſtam decipiendum; exorciſmos faciat cum imperio, magna tamen fide, & humilitate: caueat autem, ne vllam medicinam obſeſſo ſuadeat, ſed eã curã Medicis relinquat.

Peculiaribus exorciſmi formulis nuſquam vtatur, nec verbis inſolitis, aut ſecretis, ſed ſacræ Scripturæ, ac exorciſmis Eccleſiaſticis, quibus vtitur ſancta Mater Eccleſia in Rituali Romano. In Eccleſia, & in qua ſit SS. Sacramentum

non in priuatis ædibus exorcizet, nisi obsessus ægrotet, aut sit persona nobilis, idque obtenta Archiepiscopi facultate, nec in conspectu multitudinis, sed præsentibus viris honestis, & quidem cognatione proximis ei, qui exorcizatur; præsertim si sit fœmina.

In exorcismis denique vtatur superpellicio, ac stola violacea, seruetque Rituale sanctissimi Domini Pauli Papæ V. nec id attentare præsumat absque Domini Archiepiscopi facultate, literis exarata.

DE ALBANENSIUM SEU GRAECORUM Ritu.

Cap. X.

MOnet pastoralis officij debitum, vt sollicitudinem nostram, & paternum affectum amplius erga infirmiores oues extendamus. Cum igitur in hac nostra Diœcesi, Græci quidam Albanenses vulgo nuncupati nostræ iurisdictioni in temporalibus, & spiritualibus subiaceant; qui cum sanctorum Patrum, & Ecclesiæ etiam Romanæ obseruationes custodire teneantur: Nos eorum saluti consulere cupientes, pro nostri pastoralis officij munere, ad dominicum gregem eos statuimus reducere; vt omnia, quæ Oecumenicis Niceno primo, & se-

cundo Constantinopolitano, Ephesino, Florentino, sub fœl. record. Eugenio IV. ac nouissime Tridentino; & constitutionibus à sancta Sede Apostolica, præcipue à bonæ memor. Pio V. à Gregorio XIII. & Clemente VIII. Pontificibus Maximis in lucem prolata sunt, obseruet. De ipsorum autem abusibus inferius dicemus.

CIRCA SACRAMENTVM BAPTISMI.

PResbyteri Græci baptizatos chrismate in fronte non consignent, & ideo ab ipsis in ordine baptismi apud eorum euchologiũ prætermittantur, quæ sequuntur post illa verba, καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν &c. vsque ibi εἶτα ποιεῖ ὁ ἱερεὺς σχῆμα κύκλου, &c. hoc est, & post orationem, &c. (vbi habetur forma huius consignationis) vsque ad verba; postea facit sacerdos figurã circuli, &c.

CIRCA SACRAMENTVM CONFIRmationis.

EPiscopi Latini infantes, seu alios baptizatos à Presbyteris Græcis de facto chrismate in fronte consignatos confirment, & tutius videtur, vt cum cautela, & sub conditione id faciant (videlicet, si es confirmatus, ego te non confirmo, sed si non es confirmatus, ego consigno te signo crucis ✝ & confirmo te chrismate

salutis

salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti) præsertim vero cum verisimiliter dubitari potest, quod ab Episcopis Græcis fuerint baptizati.

CIRCA SACRAMENTVM EVCHARISTIAE.

SAnctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod pro infirmis asseruatur, singulis octo diebus, aut saltem quindecim renouetur.

Non asseruetur idem Sacramentum toto anno, si tamen asseruatum fuerit, saltem in fine anni sumatur.

Tollatur abusus tundendi, vel etiam miscendi sacro oleo, ac iterum coquendi, vel alias exiccandi species Sacramenti Eucharistiæ feriæ V. Cœnæ Domini, vt deinde illud asseruent.

Si Græci velint accipere altaria portatilia ab Episcopis Latinis consecrata, bene erit, sin minus tollerentur eorũ thioni siue throni super altaria lapidea ponendi cum celebrant

Corporalia vt latini habeant, nisi thionis etiam pro corporalibus vtantur.

CIRCA SACRAMENTVM POENITENTIAE.

IN casu necessitatis Presbyteri Græci Catholici possint Latinos absoluere dummodo vtantur forma absolutionis in generali Conci-

lio Florentino præſcripta, & poſtea ſi voluerint, dicāt deprecatiuam orationem, quam pro forma huiuſmodi abſolutionis dicere tantum conſueuerunt.

Tollendus abuſus vbi eſt, vt vir, atque vxor ſimul, & eodem tempore eidem presbytero confiteantur.

Aqua ex ritu Græco in die Epiphaniæ, vel primo die menſis benedicta conſeruetur in Eccleſia vt illa fideles aſpergantur.

CIRCA OLEVM SANCTVM CATECHVMENORUM, *& infirmorum.*

NOn ſunt cogendi presbyteri Græci olea ſancta, præter chriſma, ab Epiſcopis latinis Diœceſanis accipere, cum in huiuſmodi olea ab eis in ipſa oleorum, & Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, ſeu benedicantur. Chriſma autem, quod non niſi ab Epiſcopo, etiam iuxta eorum ritum, benedici poteſt, cogantur accipere. Prohibeantur verò ab Epiſcopis Græcis externis ſchiſmaticis, ſeu ſanctæ Romanæ Eccleſiæ communicationem non habentibus illud accipere, vel eo vti.

CIRCA SACRAMENTVM ORDINIS.

ORdinati ab Epiſcopis ſchiſmaticis, alias ritè ordinatis ſeruata debita forma, reci-

piunt quidem Ordinem, ſed non executionem.

Proinde ordinati ab Epiſcopis ſchiſmaticis, correcti, vel emendati reconciliandi ſunt, & abſoluendi cum pœnitentijs ſalutaribus, dummodo errores, vel ſaltem ſchiſma ordinatoris abiurent in iudicio, vel publice, vel ſecreto pro qualitate facti.

In ordinibus autem per eos alias ritè ſuſceptis miniſtrare non permittãtur, niſi cum ipſis ſuper irregularitate huiuſmodi occaſione contracta auctoritate ſanctæ Apoſtolicæ ſedis fuerit diſpenſatum.

Non ſunt admittendi Epiſcopi ſchiſmatici ſiue pro ordinibus, ſiue pro alijs ſacramentis conferendis; ſed detinendi quoad ſancta ſedes Apoſtolica deſuper conſulatur, & reſponſum habeatur.

Græci ſine litteris dimiſſorijs Epiſcopi latini Diœceſani ad ſacros ordines promoti, ſuſpenſi ſunt: & ſi ſuſpenſi ſuis ordinibus miniſtrauerint, efficiuntur irregulares, ſicut & latini.

Super huiuſmodi autem, & ſimilibus, irregularitatibus diſpenſandi facultatem à ſancta ſede Apoſtolica obtineri oportet.

Si Epiſcopus Latinus Græcum aliquem ordinare voluerit, qui à presbytero Græco in Baptiſmo, & chriſmate in fronte de facto fuerit conſi-

consignatus, debet illum antea confirmare, saltem sub conditione, videlicet, Nisi es confirmatus, &c. vt supra.

Presbyteri vidui, seu vxoribus orbati, habitum deferant diuersum ab alijs.

CIRCA SACRAMENTVM MATRIMONII.

CVrent ordinarij locorum, vt decretum sacri Generalis Concilij Tridentini, de reformatione matrimonij vertatur in linguam græcam vulgarem, & in locis, & parochijs Græcorum Albanensium euulgetur, & publicetur.

Matrimonia inter coniuges Græcos dirimi, seu diuortia quoad vinculum fieri nullo modo permittant, aut patiantur, & si quæ de facto præcesserunt, nulla, & irrita declarent.

Maritus latinus vxoris Græcæ ritum non sequatur.

Latina vxor non sequatur ritũ mariti Græci.

Græca verò vxor sequatur ritũ mariti latini.

Quod si id fieri non possit quisque coniugum in suo ritu, catholico tamen, manere permittatur.

Proles sequatur patris ritum, nisi præualuerit mater latina.

Presbyter Græcus coniugatus ante sacrum sacrificium, seu sanctam Missam celebrandam

vel per hebdomadam, vel per triduum abſti-neat ab vxore.

CIRCA ALIA DOGMATA.

Græci credere tenentur, etiam à Filio Spiritum ſanctum procedere, ſed non tenentur pronuntiare, niſi ſubeſſet ſcandalum; præſertim ſi degant inter latinos, aut neceſſitas poſtularet confitendi fidem Catholicam, quia tũc oportet etiam pronunciare.

Nunquam Monachis Græcis, ſeu Calogeris animarum cura committatur, niſi ex neceſſitate; vel alia iuſta cauſa.

Presbyteri ſæculares Græci abiurato ſchiſmate, & erroribus, atque in fide Catholica bene inſtructi, in parochialibus, ſeu curatis Eccleſijs Græcorum inſtitui poſſunt.

Tolerandus eſt apud Græcos vſus carnium die Sabbati, vbi ſine ſcandalo fieri poteſt, in locis tamen ipſorum, & inter eos tantum.

Item tolerandum eſt, vt ad ieiunium eodem die Sabbati in Quadrageſima, excepto vno Sabbato ſancto, ex antiqua traditione non teneantur, ſed dumtaxat ad abſtinentiam.

In ieiunijs biduanis, vel triduanis, vel alijs à Diœceſanis, vel in Iubilæis à ſummo Romano Pontifice indictis, dies Sabbati in eis compre-

hen ſus

hensus,vel præscriptus in alium diem pro plebibus Græcis ab ipsis Diœcesanis, Apostolica auctoritate sanctissimi D. N. D. Clementis diuina prouidentia Papæ VIII. Permittitur commutare.

Si ipsi Græci ad obseruantiam ieiuniorum.& vigiliarum latinæ Ecclesiæ induci possent,optimum esset,sed non cogantur, cum ipsi quali bet hebdomada, & feria quarta,& sexta ieiunēt

Græci existentes inter latinos dies festos de præcepto eiusdem latinæ Ecclesiæ seruare teneantur.

Paruuli vsu carentes rationis non tenentur sacram sumere Eucharistiam. Hortamur itaq; Parochos,ne eam vllo vnquam tempore infantibus impertiantur, antequam ad annos peruenerint discretionis.



ΟΜΟΛΟΓΙΑ ΤΗΣ ΟΡΘΟΔΟΞΟΥ ΠΙΣΤΕΩΣ ὑπὸ τῶν γραικῶν ποιηθησομένη προστάγματι τοῦ ἁγιωτάτου κυρίου ἡμῶν κυρίου Γρηγορίου Πάπα ιγ´ ἐκδοθεῖσα.

Ἐγὼ κραταιᾷ πίστει πιστεύω τε, ὁμολογῶ ἅπαντα, καὶ καθέκαστα τὰ περιεχόμενα ἐν τῷ συμβόλῳ τῆς πίστεως, ὅτῳ ἡ ἁγία ῥωμαϊκὴ ἐκκλησία χρῆται, οὕτοι.

Πιστεύω εἰς ἕνα θεὸν πατέρα παντοκράτορα ποιητὴν οὐρανοῦ, καὶ γῆς ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ τὸν μονογενῆ τὸν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων, θεὸν ἐκ θεοῦ φῶς ἐκ φωτὸς, θεὸν ἀληθινὸν ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ δι᾽ οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τὸν δι᾽ ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους, καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα ἐκ τῶν οὐρανῶν καὶ σαρκωθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου, καὶ Μαρίας τῆς παρθένου, καὶ ἐνανθρωπήσαντα, σταυρωθέντα τε ὑπὲρ ἡμῶν ἐπὶ Ποντίου πιλάτου, καὶ παθόντα, καὶ ταφέντα, καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ κατὰ τὰς γραφάς καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς, καὶ καθεζόμενον ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρὸς. καὶ πάλιν ἐρχόμενον μετὰ δόξης κρῖναι ζῶντας καὶ νεκροὺς, οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος. καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον, τὸ ζωοποιοῦν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ ἐκπορευόμενον τὸ σὺν πατρί, καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον, καὶ συνδοξαζόμενον. τὸ λαλῆσαν διὰ

τῶν

PROFESSIO ORTHODOXÆ FIDEI A GRAECIS FACIENDA.

Iussu sanctissimi Dn̄i Nostri Dn̄i Gregorij Papæ XII edita.

EGo firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continẽtur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet.

Credo in vnũ Deum patrem omnipotentẽ, factorem cœli, & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum Dominũ Iesum Christum, Filium Dei vnigenitum. Et ex patre natũ ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, nõ factum, consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in cœlum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem: qui ex Patre, Filioq; procedit. Qui cũ Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et vnam Sanctam Catholi-

cam,

τῶν προφητῶν εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν, καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν ὁμολογῶ ἓν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν προσδοκῶ ἀνάστασιν νεκρῶν, καὶ ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος, ἀμήν.

Ἔτι πιστεύω καὶ ἀποδέχομαι καὶ ὁμολογῶ πάντα τὰ ὑπὸ τῆς ἱερᾶς οἰκουμενικῆς ἐν φλωρεντίᾳ συνόδου περὶ τῆς δυτικῆς τε καὶ ἀνατολικῆς ἐκκλησίας ἑνώσεως ὁρισθέντα τε καὶ δηλωθέντα, ἤγουν, ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ ἀϊδίως ἐστὶ καὶ τὴν ἑαυτοῦ οὐσίαν, καὶ τὸ ὑπαρκτικὸν αὐτοῦ εἶναι ἔχει ἐκ τοῦ πατρὸς ἅμα, καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ ἐξ ἀμφοτέρων ἀϊδίως, ὡς ἀπὸ μιᾶς ἀρχῆς καὶ μοναδικῆς προβολῆς ἐκπορεύεται, ἐπειδήπερ ἣ οἱ ἅγιοι διδάσκαλοι καὶ πατέρες, ἐκ τοῦ πατρὸς διὰ τοῦ υἱοῦ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεσθαι λέγουσιν, εἰς ταύτην φέρει τὴν ἔννοιαν. ὥστε διὰ τούτου δηλοῦσθαι καὶ τὸν υἱὸν εἶναι κατὰ μὲν τοὺς γραικοὺς αἰτίαν, κατὰ δὲ τοὺς λατίνους ἀρχὴν τῆς τοῦ ἁγίου πνεύματος ὑπάρξεως, ὥσπερ καὶ τὸν πατέρα. καὶ ἐπεὶ πάντα ὅσα ἐστὶ τοῦ πατρὸς, αὐτὸς ὁ πατὴρ τῷ μονογενεῖ αὐτοῦ υἱῷ ἐν τῷ γεννᾷν δέδωκε, πλὴν τοῦ εἶναι πατέρα. τοῦτο αὐτὸ ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεται, αὐτὸς ὁ υἱὸς παρὰ τοῦ πατρὸς ἀϊδίως ἔχει, ἀφ᾽ οὗ ἀϊδίως καὶ γεγέννηται: καὶ τὴν τῶν ῥημάτων ἐκείνων ἀνάπτυξιν τὴν ἐκ τοῦ υἱοῦ, χάριν τοῦ τὴν ἀλήθειαν σαφηνισθῆναι καὶ ἀνάγκης τότε ἐπικειμένης θεμιτῶς

cam,& Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnũ baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi Amen.

Credo etiam, suscipio, atque profiteor ea omnia, quæ sacra œcumenica Synodus Florentina super vnione Occidentalis, & Orientalis Ecclesiæ definiuit,& declarauit, videlicet; quod Spiritus Sanctus à Patre, & Filio æternaliter est; & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio; & ex vtroque æternaliter, tamquam ab vno principio,& vnica spiratione procedit.

Cum id, quod sancti Doctores,& Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendat; vt per hoc significetur, Filium quoque esse secundum Græcos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiæ Spiritus sancti sicut & Patrem. Cumque omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo gignendo dederit, præter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus est. Illamque verborum illorum (Filioque) explicationem, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessi-

θεμιτῶς καὶ τε εὐλόγως ἐν τῷ συμβόλῳ προστεθῆναι.

Ἔτι ἐν ἀζύμῳ ἢ ἐνζύμῳ ἄρτῳ σιτίνῳ τὸ τοῦ χριστοῦ σῶμα τελεῖσθαι ἀληθῶς τούς τε ἱερεῖς ἐν θατέρῳ αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ κυρίου τελεῖν ὀφείλειν ἕκαστον δηλονότι κατὰ τὴν τῆς ἰδίας ἐκκλησίας, εἴτε ἀνατολικῆς συνήθειαν.

Ἔτι ἐὰν οἱ ἀληθῶς μετανοήσαντες ἀποθάνωσιν ἐν τῇ τοῦ θεοῦ ἀγάπῃ, πρὶν τοῖς ἀξίοις τῆς μετανοίας καρποῖς ἱκανοποιῆσαι περὶ τῶν ἡμαρτημένων ὁμοῦ καὶ ἠμελημένων τὰς τούτων ψυχὰς καθαρτικαῖς τιμωρίαις καθαίρεσθαι μετὰ θάνατον, ὥστε δὲ ἀποκρυφίζεσθαι αὐτὰς τῶν τοιούτων τιμωριῶν, λυσιτελεῖν αὐταῖς τὰς τῶν ζώντων πιστῶν ἐπικουρίας, δηλονότι τὰς ἱερὰς θυσίας καὶ εὐχὰς καὶ ἐλεημοσύνας, καὶ τ' ἄλλα τῆς εὐσεβείας ἔργα, ἅτινα παρὰ τῶν πιστῶν ὑπὲρ ἄλλων πιστῶν εἰωθ(ε)ν γίγνεσθαι κατὰ τὰ τῆς ἐκκλησίας διατάγματα ἐκείνων τε τὰς ψυχὰς οἵτινες μετὰ τὸ βαπτισθῆναι οὐδεμιᾷ ὅλως τῆς ἁμαρτίας κηλῖδι ὑπέπεσον, καὶ ἔτι τὰς μετὰ τὸ ἐφελκύσασθαι τὴν τῆς ἁμαρτίας κηλῖδα, εἴτε ἐν τοῖς αὐτῶν σώμασιν εἴπερ μετὰ τὸ τὰ σώματα ἀποδύσασθαι, ὡς προείρηται καθαρθείσας, εἰς οὐρανὸν εὐθὺς προσλαμβάνεσθαι, καὶ καθαρῶς θεωρεῖν αὐτὸν τὸν ἕνα καὶ τρισυπόστατον θεὸν καθώς ἐστιν ἕτερον μὲν τοῦ ἑτέρου τελειότερον κατὰ τὴν τῶν βεβιωμένων ἀξίαν, τὰς δὲ ψυχὰς τῶν ἐν θανασίμῳ

tate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.

Item in azymo siue fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici: sacerdotesque in altero ipsorum Domini corpus conficere debere vnumquemque scilicet iuxta suæ Ecclesiæ, siue Occidentalis, siue Orientalis consuetudinem.

Item si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas pœnis purgatorij post mortem purgari: & vt à pœnis huiusmodi releuentur, prodesse eis fidelium viuorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, & eleemosynas; & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro alijs fidelibus fieri consueuerunt secundum Ecclesiæ instituta. Illorumque animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum Trinum, & vnum sicuti est, meritorum tamen diuersitate alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali pec-

τῶν ἐν θανασίμῳ ἁμαρτίᾳ τῇ κατ' ἐνέργειαν, ἢ καὶ ἐν μόνῃ τῇ προπατορικῇ ἀποβιούντων εὐθέως καταβαινόντων εἰς ᾅδην, τιμωρίαις ὅμως ἀνίσοις τιμωρηθησομένους.

Ἔτι τὴν ἁγίαν ἀποστολικὴν καθέδραν, καὶ τὸν ῥωμαϊκὸν ἀρχιερέα εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην τὸ πρωτεῖον κατέχειν αὐτόν τε τὸν ῥωμαϊκὸν ἀρχιερέα διάδοχον εἶναι τοῦ μακαρίου πέτρου τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων, καὶ ἀληθῆ τοποτηρητὴν τοῦ χριστοῦ καὶ πάσης τῆς ἐκκλησίας κεφαλὴν καὶ πάντων τῶν χριστιανῶν πατέρα τε καὶ διδάσκαλον ὑπάρχειν, καὶ αὐτῷ ἐν τῷ μακαρίῳ πέτρῳ τοῦ ποιμαίνειν, διιθύνειν. καὶ κυβερνᾷν, τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν ὑπὸ τοῦ κυρίου ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ πλήρη ἐξουσίαν παραδεδόσθαι καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσιν διαλαμβάνεται.

Προσέτι ὁμολογῶ καὶ προσδέχομαι τ' ἄλλα πάντα, ἅτινα ἐκ τῶν δογμάτων τῆς ἱερᾶς καὶ οἰκομενικῆς τριδεντίνης συνόδου, ἡ ἁγία καὶ ἱερὰ ῥωμαϊκὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία πρὸς τοῖς ἐν τῷ ἐπάνω εἰρημένῳ συμβόλῳ κατεχομένοις, ὁμολογηθῆναι καὶ ἀποδεχθῆναι πρ.έθηκρ καὶ διώρισεν, ὡς ἕπεται.

Τὰς ἀποστολικὰς καὶ ἐκκλησιαστικὰς παραδόσεις, καὶ τὰς λοιπὰς τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας διατηρήσεις καὶ διαταγεὶς ἰσχυρότατα ἀποδέχομαι καὶ ἀσπάζομαι.

Ἔτι τὴν θείαν γραφὴν κατ' ἐκεῖνον τὸν νοῦν, ὃν ἐκράτησε καὶ κρατεῖ ἡ ἁγία μήτηρ ἐκκλησία, ἧς τινός ἐστι διακρῖναι περὶ τῆς ἀληθινῆς ἐννοίας καὶ ἑρμηνείας

τῶν

cato, vel ſolo originali decedunt mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.

Item ſanctam Apoſtolicam Sedem,& Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, verum Chriſti vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput,& omnium Chriſtianorum patrē, ac doctorem exiſtere,& ipſi in Beato Petro paſcendi,regendi,& gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiā in actis œcumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur.

Inſuper profiteor,ac recipio alia omnia,quæ ex decretis Sacræ œcumenicæ generalis Synodi Tridentinæ ſacroſancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia etiam vltra contenta in ſupradicto fidei Symbolo profitenda ac recipienda propoſuit atque præſcripſit, vt ſequitur.

Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſq; eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes,& conſtitutiones firmiſſime admitto, & amplector.

Item ſacram Scripturam iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta mater Eccleſia,cuius eſt iudicare de vero ſenſu,& interpretatione

ſacra-

τῶν θείων γραφῶν ἀποδέχομαι, καὶ αὐτὴν οὐδέποτε εἰ μὴ κατὰ τὴν ὁμόθυμον συμφωνίαν τῶν πατέρων λήψομαί τε καὶ ἑρμηνεύσω.

Καὶ πάλιν ὁμολογῶ ἑπτὰ εἶναι ὄντως καὶ ἰδίως τὰ τοῦ καινοῦ νόμου μυστήρια τὰ ὑπὸ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ διατεταγμένα, καὶ εἰς σωτηρίαν τοῦ ἀνθρωπίνου γένους, κᾂν οὐ πάντα καθ᾽ ἑκάστοις ἀναγκαῖα, οἷον τὸ βάπτισμα, τὸ χρίσμα, τὴν εὐχαριστίαν, τὴν μετάνοιαν, καὶ ἐσχάτην χρίσιν, τὴν χειροτονίαν, καὶ τὸν γάμον, καὶ ταῦτα χάριν παρέχειν. τούτων δὲ τὸ βάπτισμα, τὸ χρίσμα, καὶ τὴν χειροτονίαν χωρὶς ἱεροσυλίας δευτερῶσαι οὐ θέμις.

Ἔτι τοὺς ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας ἀποδεχθέντας καὶ ἐπικυρωθέντας θεσμοὺς, ἐν τῇ πάντων τῶν προλεχθέντων μυστηρίων ἑορταστικῇ τελετῇ προσίεμαι καὶ ἀποδέχομαι.

Ἅπαντα καὶ καθέκαστα τὰ περὶ τῆς προπατορικῆς ἁμαρτίας καὶ δικαιώσεως, ἐν τῇ ἱερᾷ καὶ ἁγίᾳ Τριδεντίνῃ συνόδῳ διορισθέντα καὶ σαφηνισθέντα, δέχομαι καὶ ἀσπάζομαι.

Ὁμοίως ὁμολογῶ ἐν τῇ θείᾳ λειτουργίᾳ προσφέρεσθαι τῷ θεῷ τὴν ἀληθινὴν καὶ οἰκείαν, καὶ ἱλαστήριον θυσίαν ὑπὲρ ζώντων καὶ νεκρῶν. καὶ ἐν τῷ ἁγιωτάτῳ τῆς εὐχαριστίας μυστηρίῳ ὑπάρχειν ἀληθῶς, ὄντως, καὶ οὐσιωδῶς τὸ σῶμα καὶ τὸ αἷμα μετὰ τῆς ψυχῆς καὶ θεότητος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ὅλην μὲν τὴν τοῦ ἄρτου οὐσίαν εἰς τὸ σῶμα, ὅλην δὲ τὴν

τοῦ

ſacrarum ſcripturarum, admitto; nec eam vmquam niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum accipiam,& interpretabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe vere, & proprie Sacramenta nouæ legis à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum,Confirmationem,Euchariſtiam,pœnitentiam,extremam vnctionem,Ordinem,& matrimonium,illaq; gratiam conferre: & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem,ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſupradictorum omnium ſacramentorum ſolenni adminiſtratione recipio & admitto.

Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali & de iuſtificatione in ſacroſancta Tridentina Synodo definita,& declarata fuerunt,amplector & recipio.

Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verũ, propriũ, & propitiatoriũ ſacrificiũ pro viuis, & defunctis,atq; in SS. Euchariſtiæ ſacramento eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter Corpus, & ſanguinem, vna cum anima, & diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, fierique conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtan-

τοῦ οἴνου οὐσίαν εἰς τὸ αἷμα μεταβάλλεσθαι, ἣν μεταβολὴν ἡ καθολικὴ ἐκκλησία μετουσίωσιν ὀνομάζει. Καὶ πάλιν ὁμολογῶ ἐπὶ θατέρῳ μόνον εἴδει ὅλον καὶ τέλειον τὸν χριστὸν, καὶ τὸ ἀληθινὸν μυστήριον λαμβάνεσθαι

Βεβαίως κρατῶ τὸ πῦρ τὸ καθαρτήριον ὑπάρχειν καὶ τὰς ψυχὰς τὰς ἐν αὐτῷ κατεχομένας ταῖς τῶν πιστῶν ἐπικουρίαις ὠφελεῖσθαι, καὶ ὁμοίως τοὺς ἁγίους μετὰ τοῦ χριστοῦ βασιλεύοντας, τιμητέους τε καὶ ἐπικλητέους αὐτούς τε ὑπὲρ ἡμῶν εὐχὰς τῷ θεῷ προσφέρειν τά τε αὐτῶν λείψανα τιμῆς ἄξια.

Ἰσχυρότατα διισχυρίζομαι χρῆναι τὰς τοῦ χριστοῦ καὶ τῆς ἀειπαρθένου θεοτόκου καὶ τῶν ἄλλων ἁγίων εἰκόνας ἔχειν καὶ κατέχειν, καὶ ταύταις τὴν προσήκουσαν τιμὴν καὶ θεραπείαν ἀπονέμειν.

Τὴν τῶν ἀφέσεων ἁμαρτιῶν, ἰνδουλγεντιῶν λεγομένων, ἐξουσίαν ἀπὸ τοῦ χριστοῦ ἐν τῇ ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ ἀφεθῆναι, καὶ τὴν αὐτῶν χρῆσιν τῷ χριστιανῷ λαῷ σωτηριωτάτην εἶναι καταφημι.

Τὴν ἁγίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ῥωμαϊκὴν ἐκκλησίαν, πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν μητέρα καὶ διδάσκαλον ἐπιγινώσκω. καὶ τῷ ῥωμαϊκῷ ἄκρῳ ἀρχιερεῖ, τῷ τοῦ ἁγίου πέτρου τῶν ἀποστόλων κορυφαίου διαδόχῳ καὶ τοῦ χριστοῦ τοποτηρητῇ, ἀληθινὴν ὑπακοὴν ὑπισχνοῦμαι καὶ ὄμνυμι

Ὁμοίως καὶ τἄλλα πάντα τὰ ἀπὸ τῶν θείων κανόνων καὶ οἰκουμενικῶν συνόδων καὶ μάλιστα ἀπὸ τῆς

ἱερᾶς

ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam conuerſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat.

Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie, totum atque integrum Chriſtum, verumq; Sacramentum ſumi.

Conſtanter teneo purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari. Similiter, & ſanctos vna cum Chriſto regnantes, venerandos atq; inuocandos eſſe, eoſq; orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas.

Firmiſſime aſſero imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum ſanctorum habendas, & retinendas eſſe, atq; eis debitum honorem, ac venerationem impartiendá

Indulgentiarum etiam poteſtatem, à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumq; vſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe affirmo.

Sanctam Catholicá, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum matré, & magiſtram agnoſco; Romanoq; Pontifici, B. Petri Apoſtolorũ principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario verá obedientiã ſpódeo, ac iuro

Cætera item omnia à ſacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipue à Sacro-

ἱερᾶς καὶ ἁγίας τριδεντίνης συνόδου παραδοθέντα, διορισθέντα, καὶ διασαφηνισθέντα, ἀναμφιβόλως ἀποδέχομαι καὶ ὁμολογῶ· καὶ ὁμοῦ τὰ ἐναντία πάντα, καὶ τὰς αἱρέσεις οἱασδηποτοῦν ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας καταδικασθείσας, καὶ ἀποβληθείσας, καὶ ἀναθεματισθείσας, κἀγὼ ὁμοίως καταδικάζω, ἀποβάλλω, καὶ ἀναθεματίζω.

Ταύτην ἀληθινὴν καθολικὴν πίστιν, ἧς ἔξωθεν οὐδεὶς σώζεσθαι δύναται, ἣν ἐν τῷ παρόντι ἑκουσίως ὁμολογῶ καὶ ἀληθῶς κρατῶ, τὴν αὐτὴν τέλειον καὶ ἀμόλυντον ἕως τῆς ἐσχάτης τοῦ βίου ἀναπνοῆς, βεβαιότατα θεοῦ συνεργοῦντος, κατέχειν καὶ ὁμολογεῖν, καὶ ὑπὸ τῶν ἐμοὶ ὑποταγέντων ἢ ἐκείνων ὧν ἐν τῷ ἔργῳ μου ἐπιμελεῖσθαί μοι δεήσει, κρατεῖσθαι, διδάσκεσθαι καὶ κηρύττεσθαι ὅσον ἐπ' ἐμοί, σπουδάσειν ἐγὼ ὁ αὐτός.

ἐπαγγέλλομαι,

εὔχομαι, καὶ ἐπόμνυμι οὕτως ἔσται μοι θεὸς βοηθός, καὶ ταῦτα τὰ ἅγια τοῦ θεοῦ εὐαγγέλια.



ſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio atque profiteor ſimulque contraria omnia, atque hæreſes, quaſcunque ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathemizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo ſaluus fieri poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam vſque ad extremum vitæ ſpiritum, conſtantiſſime, Deo adiuuante, retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo ſpectabit teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curatum. Ego idem

Spondeo

Voueo, ac iuro: Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.





DE SACRAMENTIS

PARS SECVNDA





Eptem sacramenta à Christo Domino instituta, quibus ab Ecclesia docemur, gratiam ab ipso Redemptore nostro in ara crucis fidelibus acquisitam in eos, diuersa tamen ratione deriuari; studeant omnes sacerdotes, præsertim Parochi quãta possunt conscientiæ puritate ministrare; ne dũ illis ad aliorum salutem vtuntur, sibi ipsis æternam perniciem comparent; cum grauissimi facinoris, non solum ille se reum faciat, qui mortali aliquo peccato inquinatus ea suscipere; sed etiam qui conficere, vel administrare non veretur. Nemo igitur peccati mortalis sibi conscius, ne

Conc. Tri. sess. 7. c. 1.

nouo

nouo mortali sacrilegio inquinetur, sacramentum vllum tractare audeat, nisi interno contritionis actu præmisso, quamquam cum de hoc minime certo constare possit, præter illum, sacramentalem etiam confessionem ante illius administrationem adhibere, laudabilius est.

Ea quoque sacerdotes omnes ex cathechismo, præsertim Romano tenere, sciréque studeant, quæ ad cuiuscunque sacramenti materiam attinent.

Cum autem sacramentum aliquod administrare voluerint, ante omnia cottam, & stolam induant.

DE BAPTISMO
Cap. I.

CVm tantæ sit necessitatis baptismi sacramentum, vt sine eo nullus salutem consequi valeat, iuxta illud: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei: atque ante ipsum nullum aliud recipi possit sacramentum, cum aliorum ianua sit, atque fundamentum, alijsque sacramentis, post Eucharistiam, ratione ipsius effectus (remittit enim, & originale, & actuale, & quæcunque alia peccata) longe dignius esse videatur, circa ipsum ante omnia infrascriptas ordina- *Ioan. 3.5.*

tiones,

tiones, & decreta ſtatuere, & vtile, ac neceſſarium eſſe duximus.

Fons igitur baptiſmalis ex marmore confectus ſit, conſpicuo, & idoneo loco poſitus, decenti operimento ita contectus, vt aqua benedicta à ſordibus pura ſeruetur.

Ritual. Pauli V.

Fonti proximum, vbi fieri poteſt, ſacrarium lapideum fontis altitudinem adæquans, & bene tectum extruatur, ac in illud, præter alias ſacras ablutiones, & aquam benedictam nihil proijciatur.

Baptiſmalis aqua, ſingulis annis non ſolum in Paſcha reſurrectionis Domini, ſed in ſabbato Pentecoſtes (vbi moris eſt) quin immò, ſi aliquando alias intra annum putreſceret, renouetur; fonte bene purgato, & aqua vetere in ſacrarium effuſa.

Ne baptiſmus infantibus cum ſalutis periculo differatur illis, qui in hanc curam incumbere debent, omnino præcipimus, vt natum infantem intra quatuor dies in Eccleſia baptiſmũ ſuſcipere curent.

Quod ſi mortis periculum illi immineat, domi quidem baptizetur, & vir fœminæ præferatur, niſi forte fœmina propter conſuetudinem baptizandi aptior ad hoc munus videatur.

Si infans ſuperuixerit, efficiat Parochus, vt

ad

ad solemnes cæremonias baptismi peragendas in Ecclesia deferatur.

Compatrum vero numerus maior non sit, quam ex Concil. Trid. sess. 24. caop. 2. de refor. definitus: vt in infantis scilicet cuiuslibet baptismo vnus tantum sit, siue vir, siue mulier, qui illum teneat, vel ad summum duo, quorum alter sit vir, alter fœmina. *Conc. Tri. sess. 4 c. 2 de reform*

Si Christi fideles ab infidelibus, & gentilibus quoad opera, & effectus alij dignoscuntur; quoad nomina etiam dignoscendos esse consentaneum videtur: idcirco mandamus, ne in futurum infidelium nomina pueris baptizandis imponantur; sed tantum sanctorum nomina, quorum vitam imitentur, quorumque patrocinio protegantur, & commendentur.

Nullus autem Monachus, vel religiosus admittatur ad suscipiẽdos de sacro fonte infantes. *Cap. non licet & c. Monachi de consecr dist. 4.*

Ad suffocationis periculum euitandum, infans à nutricis lecto ante peractum annum arceatur, vrgente necessitate admittendus, si aliquid inter lactantem mulierem, & infantem interponatur.

Puerperas monendas curent Parochi, vt cum primum domo post partum egredientur, Ecclesiam adeant, gratias Deo acturæ, & benedictionem à Sacerdote accepturæ: quod nullus sacerdos

cerdos præstare poterit, nisi proprius Parochus, seu alius sacerdos de licentia eiusdem parochi, sub pœnis arbitrio nostro infligendis.

Animarum quoque Curatores librum habeant, in quo baptizatorum parentum, ac suscipientium nomina, diemque, & annum natiuitatis, & celebrati baptismi ad formulam à prædecessoribus nostris præscriptam describant.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS Cap. II.

CVm omnes Christi fideles per manuum impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post baptismum accipere debeant, vt cor fidele ad prudentiam, & constantiam dilatetur. Cumque in confirmatione ad gratiam augmentum præstetur, sitque ijs in hoc mundo tota ætate inter inuisibiles hostes, dæmones nempe, & pericula gradiendum: vt victores assurgere ab ijs possint, eos ad pugnam confirmari necesse erit. Nam licet continuo transituris sufficiat regenerationis spiritualis lauacrum; viuentibus tamen confirmationis erunt auxilia necessaria, quæ nos armant ad vitæ huius agonem præliaque quotidiana.

Admoneant præterea Curati adultos, vt pie ad tam salubre sacramentum accedant ieiuni,

nisi

nisi aliud necessitas expostulauerit, & sua peccata confessi Illud aduertentes inprimis, ne patrini admittantur, qui eundem in baptismo susceperint, infames excommunicati publici concubinarij, & criminosi, & annis quindecim minores. Pon. Rom

Vnus vnum confirmandum, fœminæ fœminas; masculi masculos teneant: non tamen natu maiores ob decentiam quandam, quæ nō immerito in hoc videtur adhibenda.

Primo mares in Eccl. à parte vna: fœminæ ab altera sint, sicq; separatim distincti genibus flexis manibus ante pectus iunctis, suo quoq; ordine, pie, ac religiose orent. Inprimisque ab omni strepitu, vociferatione, & inani confabulatione caueant, sed silentio sancto vtantur: & quod veteris ritus est, primum Mares; deinde fœminæ confirmentur, nisi aliquando aliter fieri Archiepiscopus voluerit.

Sacramentum confirmationis his non præbeatur, qui annis septem minores nati sunt, nisi ob iustam, & necessariam causam.

Quo die hoc sacramentum ab Archiepiscopo ministratur, ea in Ecclesia Parochi non desint, qui confirmatorum nomina in librum conferant, & id omnino obseruetur, quod proxime de baptismi libro præscripsimus.

DE SANCTISSIMO EVCHARISTIAE SAcramento.

Cap. III.

Luc. 22. 17. SAluator noster ex hoc mundo discessurus ad patrem, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum instituit, memoriam faciens mirabilium suorum: quod sumi voluit à nobis, tanquam spiritualem animarum nostrarum cibum quo aleremur, & confortaremur, probantes inprimis nosmetipsos, ne si indigne sumamus, nobis iudicium manducare, & bibere contingat.

Animarum Curatores moneant quemlibet fidelem quanta cordis contritione, quanta corporis castitate, animique puritate ad percipiendum sacramentum hoc accedere debet: 1 ad Cor. 11.28. memor tremendæ illius sententiæ, Qui manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini. Et communicaturi non statim post peccatorum confessionem communicent; sed per aliquod tempus orationibus satisfaciant, vt bonis operibus (si id commode fieri possit) incumbant.

Cap. omnis vtriusque sexus de pen. & rem. Nemo Paschæ tempore differat Eucharistiæ sumptionem, quorum nomina, qui non communicauerint, Parochi, siue animarum curatores ad sex dies post octauam Paschæ, &

fracti præcepti causas, quas extra confessionem cognouerint, narrent, vt in eos iuxta Canonicas sanctiones animaduertatur.

Quod vt facilius animarum Curatores præstare possint, primum librum conficiant de animarum statu, quæ eorum curæ commissæ sunt: mox Paschæ tempore, cum fidelibus sacramentum Eucharistiæ ministrant, schedulã singulis donent, deinde nomina & cognomina in librum conferant, iuxta seriem litterarum, conferantque cum libro quem antea cõfecerant, elapso illo temporis spatio, schedulam à singulis exigant. Hoc enim modo facile reperient, qui Eucharistiam susceperint, & qui ad pœnitentiæ sacramentum recusauerint accedere.

Si quis damnabiliter (quod Deus auertat) in festiuitate Paschæ sine sacramentali confessione, & contra præceptum Confessarij sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum sumere præsumpserit, sit ipso facto excommunicatus, & alijs pœnis arbitrio nostro puniatur.

Publicè concubinarij, ac fœneratores, blasphemique, & alij eiusmodi facinorosi homines, semel ad pœnitentiam, & communionẽ admissi; si postea eos in eodem luto peccatorum hærere cognitum fuerit, amplius ad sa-

cram communionem non recipiantur, nisi postea eos vitam, moresque re ipsa emendasse Parochi perspexerint.

Paruulis ante rationis vsum, donec ad annos discretionis perueniant sanctissima Eucharistia non conferatur, & pariter dementibus, si nullius rationis compotes esse appareãt.

Viri, quantum fieri potest, præcipue Paschę tempore à mulieribus separatim communicent diuersis prorsus Altaribus, & Capellis.

Ritus, & cæremonias, quibus diuinum hoc sacramentum in Ecclesia, vel in ægrotantium ædibus est ministrandum, sacerdotes ex rituali libro petant, præter illa, quæ in eodem de sacra Eucharistia fidelibus ministranda traduntur; Parochi illud etiam seruent, vt in purificatione eis præbenda, non nisi vitreis vasis, in hunc tantum vsum in Sacristia seruandis vtantur.

Cum sanctissimum sacramentum orationis causa, quæ quadraginta horarum vocatur, perspicue, vt adoretur in altari proponitur, dent operam, vt duo saltem Clerici altari semper assistant; atque ex orantium sodalitate certus hominum numerus continuo orationi vacet, vt sine intermissione suppliciter preces fundantur.

Idque

Idque non alio, quam diurno tempore fieri liceat, hæc autem quadraginta horarum oratio, si quando extra statuta tempora facienda sit; id absque Archiepiscopi concessine minime fiat.

Sacramentum item, quod ad infirmos deferri debet, non nisi ab ipso Parocho, aut Sacerdote, qui confessiones audiendi facultatem habeat deferatur, neque id passim faciat, sed semel in die, certa hora, prout in tabella hic apposita. detur primum campanæ signum, vt Christi fideles ad sociandum conueniant: noctu autem, & extra statutam horam non efferatur, nisi imminente mortis periculo, quod probabile sit, illud amplius infirmum sumere non posse; quod medici scripto cõstare debet. *Conc Tri. sess 13.c. 6.*



TABELLA HORARVM,

QVIBVS SANCTISS. EVCHARISTIA ad infirmos effertur.

Ianuario.	*Hora*	16.	*Iulio.*	*Hora*	11.
Februario.	*Hora*	15.	*Augusto*	*Hora*	12.
Martio	*Hora*	14	*Septembri.*	*Hora*	13.
Aprili.	*Hora*	13.	*Octobri.*	*Hora*	14
Maio.	*Hora*	12.	*Nouembri.*	*Hora*	15
Iunio.	*Hora*	11.	*Decembri.*	*Hora*	16

DE SACRAMENTO POENITENTIAE. Cap IV.

QVam necessarium nobis sit ad salutem pœnitentiæ sacramentum, ob summam humanæ naturæ fragilitatem, satis expresse docuit Saluator noster, cum dixit: Nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis; cuius exercendi munus, cum sit longe grauissimum, nemini committi debet, qui doctrina, moribus, ac prudentia idoneus ad id non reperiatur: ideo vt solis dignis, & idoneis sacerdotibus hoc sacrum exercitium committi volumus.

Conc.Tri. sess. 23. c.15. Nolumus de cætero ad confessiones audiendas, præter curatos quempiam admitti, siue secularis, siue Regularis sacerdos sit; nisi diligenter examinatus fuerit, & licentiam gratis concedendam in scriptis obtinuerit.

Conc.Tri. sess.14.c.7 Ne vero per ignorantiam quis absoluat à casibus, seu censuris, à quibus non potest; præcipimus omnibus Curatis, vt non solum apud se casus in Bulla Cœnæ Domini reseruatos, sed etiam qui à nobis reseruantur, retineant, & in aliquo Ecclesiarum apto loco in tabella descriptos exponant.

QVI SVNT INFRASCRIPTI.

1 Qui sanctimoniales, vel alias mulieres in-

tra monasterium commorantes violauerit.

2 Notarij, qui legata ad pias causas non denunciant.

3 Bonorum Ecclesiasticorum inuasores.

4 Ecclesias violantes.

Ab ijs nemo absoluere audeat, nisi ex bullæ priuilegio, aut Archiepiscopi facultate sub pœna excommunicationis, sed in hac ciuitate ad Archiepiscopum In Diœcesi vero ad Vicarium foraneum remittat.

Quod si id graue pœnitenti fore viderit, illius nomine, ac de eius licentia facultatem exposcat.

Curati, ac cæteri ad audiendas confessiones expositi confessiones audiant in Ecclesia super pelliceo, ac stola induti, & mulierum quidem, nec ante solis ortum, nec post eius occasum nullo in loco, præter quam in sede confessionali posita loco patenti, atque conspicuo; quæ crate perforate inter sacerdoten sit instructa. Domi nullo modo præterquam infirmorum: idque aperto ostio, præcipue mulierum, & extra dictas sedes confessiones mulierum audire nemini liceat, siue sæcularis, siue Regularis Confessarius ille fuerit: quod si quis contrafacere præsumpserit, arbitrio nostro suspendendus sit.

Nul-

Nullus pro audiendis mulierum confessionibus idoneus reputetur, nisi annum quadragesimum attigereit, aut curatum beneficium obtinuerit, aut aliter Archiepiscopo visum fuerit.

Confessarij in huius ministerij functione honorem Dei, ac animarum salutem ante oculos solummodo sibi ponant: neque lucri, vel terreni alicuius commodi causa ad hoc sacramentum exercendum accedant. Quapropter à pœnitentijs pecuniarijs in quantum possunt abstineant; & si quas iudicauerint iniungendas, neque sibi, neque suæ Ecclesiæ illas applicent, sed pœnitentis arbitrio, siue Ecclesijs, siue pijs locis applicandas relinquant.

Curatus siue parochus, si ex alia legitima causa aliquem in suo munere substituere voluerit, id ei facere minime liceat, nisi substituendus à generali nostro Vicario fuerit approbatus.

Et vt ab omnibus vnus, & idem in absoluẽdo pœnitentes ritus seruetur; infrascriptam formam à Romana Ecclesia præscriptam ab omnibus iurisdictionis nostræ confessarijs seruari mandamus.

Sacerdos postquam dixit: Misereatur tui, &c. Indulgentiam, &c. extendens manum

de

de more super caput confitentis dicat.
Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius te absoluo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & tu indiges, deinde. Ego absoluo te à peccatis tuis, In nomine Patris ✝ & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Postea sublata manu dicat.

Passio Domini nostri Iesu Christi, merita Beatæ Mariæ Virginis, & omnium sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali sustinueris sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

DE SACRAMENTO EXTREMAE VNCTIONIS. Cap. V.

SIcut in omnibus alijs sacramentis conferendis, ac recipiendis magna præparatio, & diligentia adhibenda est; ita, & in hoc, quod in extremo vitæ periculo administratur, parochi omnia pietatis, & parochialis sollicitudinis officia exercere debent; vt fideles ex hac mortali vita migrantes aduersus diaboli versutias, tunc præsertim quærentis quomodo possit animas illorum perdere, roborentur, & contra illius tentationes fortiores reddantur.

Caueant igitur Parochi, ne in hoc sacramen-

to adminiſtrando moram, aut negligentiam aliquam contrahant, ſed quacunque hora ad vngendum infirmum vocati fuerint, ſtatim ſuperpelliceo, ac ſtola induti cum oleo infirmorum in vaſculo argenteo, vel ſtanneo omni cum reuerentia accedant: illumque commonefaciant hanc ſanctam vnctionem peccati reliquias abſtergere, animam illius ſubleuare, atque confirmare magnam in eo diuinæ miſericordiæ fiduciam excitando; eaque infirmo inungendo obobſeruabunt, quæ in libro rituali in hoc ſacramento adminiſtrando obſeruanda ſunt

Hoc ſacramentum non conferant impœnitentibus, & in peccato mortali notorie decedentibus, neque pueris vſum rationis non habentibus, neque inſanis, neque mulieribus in partu laborantibus, neque ijs, qui vltimo ſupplicio plectendi: ſed tantum infirmis adultis in extremo vitæ conſtitutis, & proxime ex illa migraturis; nec confeſtim illos in tali ſtatu deſerant; ſed pſalmis, alijſque ſpiritualibus auxilijs eos adiuuent; vt animæ illorum breui illo itineris ſpatio, quod ſupereſt, ad ſalutis portum tuto dirigantur.

A Presbytero cotta, & ſtola violacea induto miniſtretur comitante vno, aut pluribus Clericis, qui Presbyter confeſſiones audiendi poteſtatem habeant,

Si

Si infirmus in ipſa vnctione moriatur, Preſbyter vltra non procedat, ſi periculum immineat; omiſſis precationibus cito vngat: ſi dubiũ ſit, an viuat? ſub conditione id faciat,

Manus ſacerdotibus exterius vngantur; laicis interius; mulieribus, aut infirmo, qui moueri commode non poteſt, renes non vngantur. quod ſi aliquo membro ſit mutilatus, vngatur pars propinquior; nec ægroto eadem infirmitate plus qam ſemel præbeatur.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Cap. VI.

CVm diuina res ſit, tam ſancti ſacerdotij miniſterium conſentaneum fuit, quo dignius, maiorique cum veneratione exerceri poſſit, vt in Eccleſia ordinatiſſima diſpoſitione plures, & diuerſi eſſent miniſtrorum ordines qui ſacerdotio ex officio deſeruient, & ita diſtributi, vt qui cum clericali tonſura inſigniti eſſent per minores ad maiores aſcenderent; vnde de his omnibus inferius, & quoad eorumdem ordinationem, quæ neceſſaria iudicabimus tradere, iuxta Conc. Triden. ſeſſ. 23. per totum decreta puttauimus. Conc. Tri. ſeſſ. 23. c. 2.

Quoniam plurimum refert ad ſacrorum ordinum dignitatem ſuſtinendam, ordinibus ini- Conc. Tri. ſeſſ. 23. c. 11.

tiandos bonum testimonium habere; idcirco, vt quæ circa huius sacramenti obseruationem à præfata sacrosancta Trid. Syn. tradita sunt, in omnibus obseruentur, præsenti decreto omnibus innotescat, qui à nobis ad minores ordines promoueri cupiunt, vt statutis ordinationum temporibus ad nos in scriptis præferant præter literas testimoniales suscepti ordinis, & natalium; fidem quoque authenticam à parocho, à Magistro scholæ morum, vitæque probitatis.

65. *ses.* 23

A Collatione Clericalis tonsuræ per annum suspensos esse declarat summus Pontifex Bonifacius VII. Episcopos illos, qui clericalem illã tonsuram alicui illiterato, vel alias minus idoneo, seu alio modo contra Canones conferre præsumpserit. Quocirca suspensione tonsuram incidimus.

Sciant prima tonsura initiandi firmiter teneant, ad eam se minime fore promouendos, nisi in ipsis reperiantur ea omnia, quæ circa hæc à sacrosancta Triden. Synodo tradita sunt; quod videlicet, & fidei rudimenta bene possideant, & legere, ac scribere sciant, & sacramentum confirmationis susceperint, & quod non fraude sæcularis iudicij fugiendi hoc vitæ genus elegerint, sed vt Deo fidelem cultum præstent.

sess. 23. *c.* 4.

Mino-

Minores, & Maiores quoque ordines suscepturi ante Mensem per parochum denuncientur, vt de ipsorum natalibus ætate, moribus, vita, à fide dignis diligenter inquirendo literas testimoniales ad Archiepiscopum transmittant. Sess. 23. c. 5 de reform.

Regulares quoque literas susceptorum ordinum, ac etiam suorum superiorum afferre teneantur, cum conditionibus in Constitutione Clem Papæ VIII. requisitis.

Cum non deceat eos, qui diuino Ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore ministrare, aut sordidum aliquem quæstum exercere, nullus ad sacros ordines assumatur, qui beneficium Ecclesiasticum non obtinuerit, aut idoneas facultates Patrimonij, aut annuæ pensionis non habeat in Ciuitate Montis Regalis, ad minus vnciarum viginti; Corleonis, Bisiquini & Parci, vnciarum quindecim: Planæ vnciarũ decem, Brontis, vnciarum duodecim iuxta cõstitutionem in vltima Synodo editam per Ludouicum de Torres prædecessorem nostrum, alias ad præfatum ordinem nullo modo assumentur, quod fit, ne Clerici mendicent in plateis. Sess. 21 c. 11. de ref.

Examinis causa nihil, nec minimum quidẽ neque ante, neque post examen accipiant Examinatore; si contrafecerint arbitrio nostro pu- Sess. 24. c. 18. de ref.

niantur. Caueant, ne quem indignum nouerint probent, nec quem dignum compererint, rejiciant.

Si quem clericali veſtitu deformi, & ab ordinis Eccleſiaſtici decore alieno indutum, vel ſine congrua pro ſui ſtatus, & ordinis ratione tonſura accedentem viderint, nec ei ad examen aditum faciant, donec decenti veſtitu amictus, & tonſuratus redierit.

Si quis contra Pij Pontificis Max. Conſtit. & ſanctiſſimi Domini noſtri Gregorij XIII. teſtificatione innouata, ſine Canonica diſpenſatione extra ſtatuta tempora, vel ante legitimã ætatem, vel abſque dimiſſorijs Epiſcopi ſui literis ad aliquem ſacrum ordinem promoueri ſe fecerit, intelligat ſe ab eorum ordinum, ad quos promotus fuerat functione ipſo iure ſuſpenſum eſſe.

Si vero dum ſuſpenſus remanet illorum ordinum officium aliquod exercuerit, ſtatim irregularitatem incurrere ſummo Pontifici reſeruatam.

Qua ex cauſa præter alias pœnas, quæ in huiuſmodi temerarios homines ſacrorum Canonum iure ſancitæ ſunt, ipſis etiam beneficijs, ſi quæ obtinuerint, priuari poſſunt.

Sacerdotij munus, quod à Deo hominibus tribu-

tributum est perpetua memoria religiose coli debet: itaque quicunque eo instituti sunt, cum sæpissime alias sibi tributum donum mente pie reuoluant, tum eo potissimum die, quo sacerdotes facti sunt, quotannis singuli Missæ sacrificio, diuersisque precibus accepti illius muneris gratiam sancte, religioseque testentur.

DE SACRAMENTO MATRIMONII. Cap. VII.

QVantæ reuerentiæ, religionis, & pietatis sit hoc Matrimonij sacramentum, hinc intelligi potest, quod Deus ipse auctor fuerit, cum in terrestri Paradiso primos nostros parentes hoc contractus vinculo coniunxerit: vt Christus Dominus illud inter septem Ecclesiæ sacramenta collocarit, atque instituerit, & manifestum suæ coniunctionis cum Ecclesia sancta signum reliquerit. ob quam significationẽ Diuus Paulus patentibus verbis illud, magnum appellauit. Consequens est igitur, vt tam sanctum sacramentum, tantisque plenum mysterijs non nisi pie, religioseque tractetur. *Ad Ephe. 5. 32.*

Quare ad tollenda multa scanddala, quæ ex clandestinis matrimonijs oriri solent; mandamus omnibus Curatis iurisdictionis nostræ, sit sæpius decretum Conc. Tridentini legant, in eoque *Conc. Tri. sess. 24. c. 1. de ref.*

eoque contenta obseruens, ac obseruari faciat.

Nullus Parochus, siue illius substitutus matrimonium aliquod celebret, nisi factis prius in vtriusque sponsi parochia inter Missarum solemnia tribus monitionibus, tribus diebus festiuis, & nullo in eis impedimento detecto.

Tri. Libid. c. 1. Nolumus tamen, quo die Matrimonij contrahendi vltima denunciatio facta est, eo ipso matrimonium celebrari, nisi impetrata à nobis potestate; si vero in dictis tribus monitionibus, seu in qualibet illarum aliquod impedimentum fuerit oppositum ad Vicarium nostrũ Generalem quam primum transmittatur, & interim sub pœna excommunicationis cohabitare, & simul versari ipsis sponsis interdicatur: quod si aliter matrimonio interuenire Parochus præsumpserit, tamdiu suspensus maneat, quamdiu nobis videbitur.

Curent parochi antequam matrimonia celebrent, vt contrahentes sciant orationem Dominicam, salutationem Angelicam, duodecim fidei articula, decemque Decalogi præcepta, & antequam contrahant, hortentur, vt diligenter peccata sua confiteantur, & sanctissimum Eucharistiæ sacramentum pie suscipiant.

Matrimonium non domi, sed in parochiali Ecclesia præsente proprio parocho, ac duobus

vel

vel tribus testibus celebretur; in missæ celebritate sponsorum benedictio perficiatur, quod tamen in secundis nuptijs non est faciendum.

Matrimonijs illorum, qui vagantur, certasque sedes non habent, parochi non intersint, nisi prius diligentem inqisitionem fecerint, & re ad Vicarium nostrum Generalem delata, licentiam id faciendi obtinuerint, & idem seruari mãdamus in matrimonijs eorum, qui prætendunt maritum, vel vxorem longinquis partibus mortuos esse.

Vt illo malo, atque periculo, quod oriri solet ex longa mora in matrimonijs celebrandis post denunciationes factas, remedium aliquod adhibeamus, præcipimus Curatis, cæterisque omnibus, quibus cura coniungendi in matrimoniũ contrahentes demandata est, ne elapsis duobus mensibus eosdem sponsos in matrimonio coniungant; sed alias fieri denunciationes mãdamus, quæ nisi factæ fuerint in celebratione eorumdem Parochi non interueniant. Ritual Ro Pauli V.

Ad tollendum aliud malum superiori proximum, nemini contrahenti sponsalia de futuro liceat amplius ad domum sponsæ accedere eam alloqui, eaque similia tractare; sed sufficiat sponso mutuam inter ipsum, ac parentes, fratres consanguineosque spõ-

sæ fidem de contrahendo matrimonio interue-nisse, & ab istis actibus eo vsque se abstineat, quousque à proprio Parocho per verba de præsenti publice in Ecclesia eam desponsauerit, & contrafacientes sciant, se acriter arbitrio nostro esse puniendos.

Concilio Trid. ibid c. 10.

Sciant Parochi, ac subditis suis illud declarent ex Conc. Trid. præscripto ab aduentu Domini, vsque ad Epiphaniæ festum; & à feria quarta Cinerum, vsque ad Octauam Paschæ inclusiue, interdictas esse nuptias: Ideo non nisi postridie illius diei, qui postremus est prædicti temporis solemnitates nuptiarum celebrare licet.

Mandamus, vt quilibet Parochus nostræ iurisdictionis librum habeat, in quo denunciationes factæ, dies, & locus celebrati matrimonij coniugum, testiumque nomina propria manu ipsius Parochi describantur.



DE CVLTV DIVINO PARS TERTIA



DE FABRICA ECCLESIAE. Cap. I.



Vm in Ecclesijs ædificandis, ac etiam in iam extructis magna cura sit adhibenda, ne aliquid contra canones, Ecclesiasticosque ritus admittatur, aut tollatur: seu Capellæ de nouo non extruantur, nec Monasteria etiam religiosoru, seu Oratoria aliqua ædificentur sine Archiepiscopi licentia prius obtenta, quæ sint populi capacia, ab ædibus disiuncta, & quoad fieri potest, ab omni strepitu longe remota. Forma autem ædificandæ Ecclesiæ cum multiplex esse potest,

illa potior videtur ab Apostolicis fere temporibus ducta, quæ crucis formam exhibet. Magna autem ratio habeatur circa singulas Ecclesiæ partes construendas: pauimentum, tectum, atrium, vestibulum, & ostia, fenestræ omnes, vbi commode fieri potest cratibus ferreis alte muniantur; vt qui foris stat introspicere minime possit.

Et in iam extructis absq; licentia nihil, quod sit magni momenti destrui, reædificari, ac innouari mandamus.

Altare maius eminentiori loco ponatur pro Ecclesiæ magnitudine; marmoreum vas aquæ benedictæ intus sit in Ecclesia à latere ingredientium dextro: Confessionalia ponantur in loco patenti, atque conspicuo.

Alia vero altaria erigi quoque nolumus, nisi etiam congrue arbitrio nostro dotentur, & de necessarijs prouideantur, & illa non in quacunque templi parte extrui debeant, sed commodo ac decenti loco, & non nisi ex lapide fiant. Vnumquodq; altare habeat si (non fuerit totum consecratũ) aram, siue altariolũ paruũ lapideũ consecratum, & super altare sit aliqua imago depicta; habeat etiam candelabra decora, crucem in medio, cum charta secretorum; tabellas necessarias ad sacrum faciendum; pallium

ex

ex ſerico, ſeu aliqua decenti materia; ſcabellum paruum, ſeu puluinar pro Miſſali tenendo; nec non ſcabellum inferius, ſeu pradella tantæ longitudinis, quantum ipſummet altare; feneſtrella ſit in pariete ad peluim cum vrceolis ponendam.

Sacriſtia in omni cuiuſuis generis Eccleſia extruatur pro Eccleſiæ magnitudine, ac numero miniſtrorum, in qua vas aquarium extruatur ad ſacerdotum manus abluendas, & ad illas abſtergndas mantilia adhibeantur. Tabella itē ſit, in qua preces ad miſſæ celebrationis præparationem pertinentes, ſacerdos legat; nec non armarium pro conſeruandis indumentis, ac omni ſupellectili Eccleſiaſtica. Altare item erigatur, apud quod ſacerdotes celebraturi ſacris veſtibus induantur.

Eccleſiæ omnes, tam ſimplices, quam curatæ, atque Oratoria ipſa ſua habeant oſtia cum ſera, ac peſſulis, quibus debito tempore claudi poſſint: Oratoria vero campeſtria eodem modo muniantur, & ſi pro paupertate id fieri nequeat, diruantur, & eorum materia ſeu cœmentum, iuxta Concil. Triden. decretum, parochiali Eccleſiæ applicetur. *Seſſ. 21. c. 7. de reform.*

Prohibemus etiam, ne in prædictis Eccleſijs, & Oratorijs aliquid profanum, ſeu ad Laicorū

vsum destinatum conseruetur, vel reponatur.

Ædes, vel cuiusuis generis ædificia, domosue quæ sordito vsui, vel meretricibus inseruiunt, per qinquaginta passus ab Ecclesia disiungendas esse mandamus.

Diruantur quoque altaria in Capellulis, & Cellulis, in quibus Missæ sacrum nõ celebratur.

DE NITORE, ET MVNDITIA ECCLESIAE, Ecclesiasticique omnis supellectilis.

Cap. II.

ECclesiarum nitori ita consuli debet, ne situ puluere, aliòque squallore sordescant, & à cunctis sordibus ita purgatæ sint, vt nihil in eis conspiciatur, quod non religioso quodam fulgore elucescat. Curandum igitur est, vt certis tutisque facultatibus dotentur, quibus, cum opus fuerit reparentur; & ornatus etiã in omnis conseruetur. Templa igitur solemnioribus anni diebus ornatiora appareãt, tum ad diuinum cultum augendum, tum ad fidelium consolationem. Quo in apparatu profanæ omnes imagines arceantur; seruetur autem præcipue Cæremoniale fel. rec. Clem. VIII. iussu editum.

Omnes Ecclesiæ, & Sacellorum superficies interior, à solo ad fastigium vsque semel singulis annis emundentur à puluere, operibus ara-

nea-

nearum, & omni sorde per operarios in rebus huiusmodi exercitatos.

Vas etiã aquæ benedictæ bene lauetur, & spongia tergatur, quotiescunq; aqua benedicta renouatur; quæ ne pedibus hominum conculcetur, in sacrarium proijci debet, & contrafacientes seuere puniantur.

Vasa etiam lapidea Sacristiæ, ex quibus scilicet aqua effluit ad manus sacerdotum lauandas, eodem modo, & tempore mundentur.

Corporalia, & purificatoria cum renouantur, vt alia adhibeantur munda, ponantur in arcula ad eum tantum vsum destinata; & antequam foras dentur ad lauandum, in Sacristia ab eo, qui sit in sacris constitutus, lauentur in proprio vase, & quod ex lauatione superest; in sacrarium fundatur.

Adsint præterea, quæ sunt necessaria diuinis ministerijs, & Ecclesiæ vsui, nimirum, quæ missæ sacrificio inseruiunt, & quæ ad diuinorum officiorum vsum, ad sacramentorm admini-strationem, & funeralia officia; & cætera munera suo ordine spectant; videlicet, lampades, mūdus cum lampadarijs, conopœa pro tabernaculo sanctissimi Sacramenti.

Et sanctæ Ecclesiæ institutum sequentes, iubemus, ne aliquod ex illis vestimentis, vel quod

cumque

cunque aliud ornamentum sacro vsui addictũ in Missæ sacrificio, vel quibusuis diuinis officijs prius adhibeantur, quam illud Archiepiscopus vel alius, qui eam habet auctoritatem Ecclesiastico ritu benedixerit.

Caueant Ecclesiarum Rectores, alijue Ministri, ne aurea vasa, tapetia, aliaque supellectilis & ornamentorum genera, Ecclesiæ, vel Sacristiæ addicta ad domesticum vsum vllo modo vnquam adhibeant; nec alijs vtenda dent, sine Archiepiscopi, aut eius Vicarij Generalis licentia.

DE SACRISTIA MAIORI.

Cap. III.

SAcristiam decenter ornatam habeant, cuius aditus laicorum conuentui interclusus, clericalis ordinis hominibus solis oportune pateat.

Vestes sacras, ornamenta, libros, & reliqua Ecclesiastica instrumenta apte disposita, & cũ dignitate, & decore asseruata custodiant.

Calices argenteos ab omni parte integros, corporalia, pallas, purificatoria munda, ac nitida studiose seruabunt.

Quæcunque ad Sacramenta ministranda requisita sunt, in promptu habeant, eaque omnia

nia, quæ ſunt de ornatu Eccleſiæ, ſeruent.

Nullus in ea manibus colloquijs, multoque magis rixis, ac contentionibus, & id genus alijs locus ſit.

Item curent, ne infideles Miſſæ ſacrificio interſint, ne ſint deambulationes, vanæ confabulationes, inania colloquia præſertim, dum Miſſæ ſacrificium celebratur, ſacra concio habetur & diuina officia recitantur.

Sanctorum reliquias intra decora vaſcula conditas aſſeruent; & non ſine cauſa temerè, & irreuerenter, ſed ad pietatem excitandam detegendas.

Cum ſolemnis aliqua celebritas, vel in altari exponendas, vel in proceſſionibus circumferendas expoſcerit, per ipſum Sacriſtam ſtola indutum, & per Clericos luminibus accenſis deferantur.

In ea paruum altare, atque lauatorium cum manutergio appenſo extructum habeant; vt ad illud ſacerdotes ante, vel poſt miſſæ celebrationem orare, manuſque abluere poſſint.

Tabellam item teneant, in qua deſcriptas ad ordinarij Romani præſcriptum, preces ad gratiarum actiones pertinentes Miſſæ ſacro peracto ſacerdos legat.

Animarum ſaltem vnum, vel cuſtodiarium

habeant conseruandis indumentis colore multiplicibus, ordineque pro temporum ratione destinatis appositam.

Tabellam quoque appensam, in qua & Missæ, & Anniuersaria singula ordine notata sunt; quæ ab vniuerso illius Ecclesiæ Clero, vel ab vnoquoque in singulos dies, hebdomatasq; peragi præstarique debent.

Computa, & emolumenta Sacristiæ huius Metropolitanæ Ecclesiæ Illustrissimo, & Reuerendissimo Archiepiscopo, siue eius Vicario Generali singulo mense dentur iuxta Bullam Pauli III. fœl. re, reliquarum Ecclesiarum Vicario Generali, seu alicui dent Archiepiscopo bene viso.

DE MISSAE SACRIFICIO.
Cap. IV.

Missæ sacrificium, quod à Domino Iesu Christo institutum est, & in quo Christus cõtinetur, & incruente immolatur, ea dignitate, & deuotione tractandum est, qua tantum mysterium decet, & conuenit. Quapropter sacerdotes sacrificium hoc celebraturi, cũ omni interiori cordis munditia, ac recta fide, cumque metu, & reuerentia ad tantum mysterium accedant.

Conc. Tri. Seß. 22. de obseru. & euitandis in celebr. miss.

Et

Et ne in celebrando aliquod illis occurrat, quod illius, ac adstantium mentes perturbet, vnusquisque sacerdos sit diligens, ac accuratus in ijs, quæ legenda sunt, alijsque necessarijs prouidendis; & antequam ad altare proficiscatur, Matutinum, ac laudes saltem recitarit.

In posterum nullus sacerdos ad Missæ sacrificium primo peragendum admittatur, nisi prius constiterit eum sacras cæremonias rectè didicisse, & à nobis, seu Vicario nostro licentiã id agendi obtinuerit, quod etiam seruari mandamus in Diaconibus, & Subdiaconibus antequam eorum ministeria sint peracturi, sub pœnis arbitrio nostro infligendis.

Sacerdos alterius Diœcesis ad celebrandam missam, aliaque diuina officia in hac nostra iurisdictione non admittatur, qui non habet literas dimissorias à suo ordinario, visas à Nobis.

Item nullus laicus (si fieri potest) ministret altari, sed Clericus, qui superpelliceo indutus, & bene instructus sit circa diuinum ministerium

In Ecclesijs ruralibus, & in Oratorijs non celebretur Missa sine Archiepiscopi, seu Vicarij Generalis licentia, quæ minime concedatur, nisi visitatis, benedictisq; Ecclesijs, & nisi constiterit esse ijs prouisa omnia requisita ad celebrationem.

Cap. cum secundum de præb. & dign. Et quoniam propter temporum calamitetes, & iniurias victus non facile suppetit, quia, qui altari seruit, de altari viuere debet, eleemosynam pro celebrandis Missis sacerdotibus præberi solitam ad summum tres carolenos esse statuimus. Legata autem, quæ pro missarum celebratione à fidelibus ex pia eorum voluntate Ecclesijs sunt relicta, auctoritate nobi à Trid. Conc. concessa mandamus, quatenus pro talium missarum satisfactione ita applicentur, vt pro missa quotidie celebranda, non minus vnciarum decem, & octo erogetur: ita tamen, vt eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute ea legata ad pios vsus reliquerunt.

Conc. Tri. sess. 25. de reform c. 4.

DE DIVINIS OFFICIIS.

Cap. V.

Cvm ad diuina officia diurna, vel nocturna conueniendum erit, id campanæ sono significetur ea interposita mora, qua omnes facile possint conuenire. Signo dato, qui dignitates Ecclesiasticas, aut Canonicatus habent, cæterique omnes, qui interesse debent, præparent se ad diuinas laudes, & mature ad Ecclesiam progrediantur; ingressi in Ecclesiam, primo se signo crucis muniant, & aqua benedicta

asper-

aspersi, ea, qua decet grauitate incedant, factisque ad sacrosanctam Eucharistiam precibus, in Sacristiam proficiscantur: quo loco super pelliceam assumant, reliquumque vestitum ad sacrum munus necessarium, qui seruos Dei decet, tacitè modesteque assumant.

In ingressu chori ad Matutinum, & alias horas is ordo seruetur.

Vt paulo post vltimum campanæ signum ad rem diuinam faciendam vniuersis in Sacristiam paratis pulsetur paruula campana, vt omnes, qui in Ecclesia, vel eam circum sunt, diuini officij celebrationem instare intelligant.

Postea omnes de Sacristia ordine procedẽtes exeant, & vbi se sanctissimo Eucharistiæ sacramento genuflexerin, & ad altare maius humiliter inclinarint, suum quisque locum in choro adeat, vbi flexis genibus, & submissa voce, saltem orationem Dominicam dicant, deinde dato signo, vel pronunciato (Pater noster) per hebdomadarium ad initium officij omnes surgant, & officum inchoetur.

Si quis ausus fuerit inchoare officium, priusquam eo ordine in chorum conuenerint, & distributionem illius diei amittat, & grauiori pœna plectatur.

Omnes in choro diuina officia, vt temporis

ratio postularit, alternis vocibus concinant, attenteque audiant; ita, vt non cursim, non perturbate, non oscitanter, sed leniter, distincte, sedate, & officiose faciant, factaque pausa in medio versiculi, & non nisi absoluto versu alterius partis, versum alij incipiant, neque verba transcurrant, vel syncopent; scriptura dicente, psallite sapienter.

In choro ex instituto, & more Ecclesiæ pro tempore, & officij ratione sedeant, stent, flectant genua, caput aperiant, & submittant, cæteraque eius generis adhibeant.

In choro item in officio matutino clericali bireto, non pileo vtantur: alterius stallum non occupent; ita tamen, vt superioribus clericis absentibus, inferiores si adsint, in eorum locum succedant, vt simul coniuncti commodius psallant.

In choro item, vbi communi officio opera datur, priuatim officium non dicant, neuè litteras, libros, aliaue scripta legant; neque alio modo contendant, diuinum officium perturbando. Et denique nihil indecorum faciant, quod sit alijs scandalum, vel impedimentum.

Si cum diuina celebrantur officia Sacerdoti, vel Clerico, vel Ministro interdum per Ecclesiam necessario sit incedendum, grauiter, &

modeste id faciant; neq; cum vllo sermonem habeant de rebus inanibus.

Et quoniam chori disciplina plena religionis est, plena pietatis, ac propterea sanctè ab his obseruanda est, qui in eum locum conueniunt ad Dei laudes celebrandas, præter ea, quæ superius de illius cultu præfiniuimus, hæc admonemus; quò religiosius non modo excolatur, sed multis partibus augeatur sancta eiusdem chori institutio.

Sæculares in stallis chori Sacerdotibus, & personis Ecclesiasticis assignatis, nullo tempore, maximeq; dum diuina recitantur officia, sedere præsumant, sub pœna arbitrio nostro imponenda.

Et quia Clemens VIII. fel. rec. cæremoniale Episcoporum imprimi mandauit, & in omnibus Metropolitanis Ecclesijs, Collegiatis obseruari iussit; Nos eius mādata exsequi volētes, mandamus omnibus, & singulis quarumcūq; Ecclesiarum maioribus, & superioribus Rectoribus, vt deinceps ritus, & cæremonias, Missas celebrandi, vesperas, & alia diuina officia, cæterasq; functiones in dicto Cæremoniali impressis obseruent, ac in suis quisque Ecclesijs obseruari faciat.

DE

DE MORTVORVM EXEQVIIS, ET SEPVLTVRIS, Cap. VI.

CHristianorum corpora pijs precibus adhibitis, ac solemni quodam ritu sepelire Ecclesia semper magnoperè commendauit; & hoc pietatis opus inter cætera charitatis officia referri voluit.

Exequiarum itaque honor fidelibus piè, religiosèq; à Curatis, cæterisq; iurisdictionis nostræ clericis impendatur; qui non nisi superpelliceo, & bireto clericali induti, & summa, qua decet sanctitate, atque decore exequijs prædictis intersint.

Antè Solis ortu, & post illius occasum, mortuum efferri, & ad sepulturam recipi, prohibemus. Et caueant Rectores, nè cadauera eorum, quibus ecclesiastica sepultura à sacris Canonibus interdicitur, sepelire sinant, sub pœnis à iure institutis.

Nè inter Missarum solemnia, ac diuinorum officiorum celebrationem illorum corpora ad Ecclesiam à Parochis deferãtur: quorum item cura sit, nè nimis properè mortui sepeliantur, etsi ipsis videbitur id vlterius differatur.

Cadauera vero laicorum cuiusuis generis, & dignitatis, non deferantur à clericis, sed solum à laicis.

Pau.

Pauperũ, & miserabilium personarum corpora, quæ suis impensis humari nequeunt, à Parocho, & quorum interest, qua maxima christiana pietate sepeliantur.

Insuper expressè mandamus omnibus iurisdictionis nostræ Rectoribus, nè patiantur in suis Ecclesijs corpora mortuorum sepeliri, nisi in sepulchris cum lapidibus, & operimentis benè aptatis, sub pœna vnciarum decem; Et si quis in pauimento Ecclesiæ sepeliri voluerit, quod prædicta operimenta lapidea, seu marmorea non habent, Rectores efficiant, vt humo impleantur sub dicta pœna, nisi intra spatium vnius mensis patroni dicta sepulchra aptauerint.

Quod autem à Sanctissimo Domino nostro Paulo V. in Rituali nuper edito circa mortuorum cadauera sepelienda; & in exequijs peragendis tàm adultorum, quàm paruulorum; mandantur omnia, & singula à quibuscumque obseruari, & obseruanda esse, præsenti Constitutione mandamus, & quæ dubia circa hoc emerserint, Archiepiscopus, siue eius Vicarius Generalis consulatur. *Ritual Pauli V.*

Insuper ad aures nostras peruenit, quod mulieres nostræ iurisdictionis, cum mortui ad sepulturam deferuntur, ipsæ more Gentilium

mortuos associantes clamoribus, & vlulaatibus potius exequias impediunt, quam aliquid pietatis opus exercere videntur. Immò quod peius est, in sepulturam descendunt mortuos deplorantes, quod fieri omninò non est permittendum. Ideo præsenti constitutione statuimus, nè deinceps talia perpeti permittatur, sub pœna excommunicationis latè sententiæ, & alijs pœnis illis, qui huic Constitutioni non paruerint.

Omnes verò clerici, qui ad exequias, aut funeralia, aut defunctorũ anniuersaria accesserint, induti superpelliceis; & Canonici cum insignibus canonicalibus procedant; neque discedant priusquam defunctus ad locum sepulturæ deductus fuerit: discedentes verò Cruce præuia, eo, quo venerunt ordine redeant.

Contingit interdum, vt dum mortuus aliquis efferendus est, Confraternitates laicorum ad comitandum funus vocentur; qui dum plus nimio moram trahunt in caussa sunt, vt collegiatæ Ecclesiæ eos expectare cogantur. Nos itaque omnes Confraternitates, & pœnitentiũ societates, vel iuxta præscriptam rationem Clero præuenire volumus, vel si statuto tempore nõ venerint, vt possit à Clero corpus ad sepulturam ferri, eis non expectatis decernimus.

Paro-

Parochis verò præcipimus, vt librum conficiant, in quo omnia mortuorum nomina, & cognomina, quouè die mortuus obierit describant.

DE LEGATIS PIIS. Cap. VII.

QVoniam congruum est, & nostræ fidei ex Sacrorum Canonum dispositione commissum, vt piè testantium mentes, ac voluntates debitæ exequutioni mandentur.

Volumus, atque præcipimus, vt Notarij omnes huius nostræ iurisdictionis intrà decem dies post defuncti obitum, omnia legata Ecclesijs, alijsque pijs locis à testatoribus quomodocumque relicta, Vicario nostro Generali denunciare teneantur, sub pœna vnciarum decem ijs, qui nostro decreto non paruerint. *Cap. tua detestam.*


Rectores Ecclesiarum librum habeant, in quo diligenter ab eis annotétur legata olim facta, & non dum soluta; quæuè deinceps fient, vt illa quam primum executioni mandare possimus.

Caueant Sacerdotes, nè super alio altari, quam super eo, super quo ad celebrandum tenentur, Missæ sacrũ faciant; nisi ab Ordinario licẽtiã aliquãdo obtinuerint, vel tale adsit impedimẽtũ, quod super eo nullus valeat celebrare.




DE DISCIPLINA ECCLESIASTICA.

PARS QVARTA



DE RESIDENTIA, ET BENEFICIIS. Cap. I.



QVoniam pernecessaria est ad animarum curam, & diuinum cultum digne celebrandum, tam rectorum, quàm aliorum residentia, qui ad eam de iure, vel consuetudine tenentur; Præcipimus, vt Sacri Conc. Trid. decretum, omnes, tam Parochi, quàm dignitates, & Canonici, cæteriq; omnes ad id obligati, penitus obseruent, aliàs fructus non faciant suos; sed in reparationem, & ornatum Ecclesiæ, aut si aliter Prælato visum fuerit, in

Sess. 24. c. 12. de reform.

in beneficium, & auxilium piorum locorum, seu indigentium personarum prorsus conuertantur.

Vicarij Foranei eorum, qui in Ecclesijs suis non resident, nomina ad Archiepiscopum quamprimum transmittant, nè eorum neglectu Christi oues detrimentum patiantur, eiusq; cultus despiciatur; Quod si Vicarij grauiter cōtrà hoc decretum deliquerint, arbitrio Archiepiscopi puniantur.

Si quem dispensatione habita abesse contigerit, absens reputetur; nisi si in studio generali, celebriq; studeat, & singulis sex mensibus scriptum sui Doctoris exhibeat, quo fidem faciat suæ in studio sedulitatis, & in litteris progressus.

Parochus ab Ecclesia sibi concredita nè discessum vllum sine Archiepiscopi facultate teneat, quæ à Vicario Foraneo in suis regionibus rarò, & in caussa concedi potest, triduo tei minanda. *Cōc.Trid. sess. 23. c. 1. de reform.*

Quamdiu ex licentia aberit, alium curæ suæ substitutum relinquat ministrandis Sacramentis, & Parochialis Ecclesiæ muneribus obeundis idoneum ab Archiepiscopo, seu eius Vicario approbatū; nè aliquid in eius absentia detrimentum animabus suæ curæ cōmissis oriatur.

Nè

Conc. Trid. sess. 24. c. 12. de reform. & sess. 23. c. 6 de reform.

Nè quis in Ecclesiasticum beneficium animarum curæ annexum se inserat, quin vigesimum quintum annum attigerit; assumptus nè cedat, nisi conditiones Pij V. Pontif. Maxim. obseruet.

Ad cæteras autem dignitates, & personatus, quibus animarum cura nulla subest, viginti duobus annis completis asciscatur. Simplicia verò beneficia antè decimum sextum annum nemo possit obtinere.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORVM. Cap. II.

1. Corinth. 6.

CLerici, si eorum nomina considerant, in sortem nempè Domini vocati sunt, diuinorumque ministeriorum effecti à sæcularibus curis segregati, & in altiorem gradum euecti; sciant se propterea non ad commoditates, aut voluptates, ad inertiam, atque ignauiam, sed ad spirituales, & Ecclesiasticæ militiæ labores vocatos esse. Quare ipsis diligentissimè prouidendum est; nè à recta viuendi vita, & à sui muneris ratione deflectant; & ità eorum vitam moribus, habitu, gestu, conuersatione, ac incessu componat, atque accommodent; vt in eos fidelis populus, tanquam in speculum oculos conijciant, exemplique probitatis, virtutis,

ac veræ pietatis ſumat; nè tanquam ſal infatua-tum conculcentur. Nos itaque noſtris Clericis certas rectè viuendi formulas præſcribimus ex veterum canonũ fontibus, & à S. Trid. Conc. exhauſtas; vt fideles noſtræ curæ concrediti, non minus vitæ exemplis, quam doctrina exempli commoti ad virtutis,& pietatis imitationem excitentur.

Et quia ſcriptura loquitur; Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt de ore eius; Ideò noſtræ iuriſdictionis Sacerdotes, omnes infraſcriptos libros penès ſe habeant, illoſque ſæpè tractare,verſarique teneantur. Veteris, ac Noui teſtamenti volumen; Cathechiſmum Romanum; Concilium Tridentinum; Compendium Summæ Nauarri, aut aliam Summam approbatam; necnon præſentis Synodi Conſtitutiones. Cæteri verò præter ſupradictos,alios etiam ſibi comparabunt libros, quos ad Sacramentorum adminiſtrationem pertinere iudicauerint.

Quemadmodum antè primam tonſuram clericalem habitum ſumere nemini liceat, ita ijs, qui in maioribus ſunt ordinibus conſtituti, vel beneficium etiam Eccleſiaſticum habent, Canonũ iure præcipimus, vt veſtibus clericalibus ordini, dignitatiq; cõgruentibus vtantur.

Qui

Qui verò infra mensem post huius Synodi promulgationem huic decreto non paruerit, sciat se ipso iure, ordine, quem habuerit esse suspensum; atque adeò grauioribus etiam (si res ita postulat) pœnis ab Archiepiscopo mulctandum.

Nè vestitu sordido, & neglecto, nec exquisito, nimisque delicato, nec item serico, nisi simplici Clerici vtantur; nec vestes induant, quæ nigro colore, aut alio decenti non sint; nisi dignitas aliud postulet.

21. quæst. 4 cap. Episcopi. Exteriorem vestem ad talos vsque demissam habeant; itemque interiorem veste, quam subtanam dicunt; in itinere, vt breuiorem vestem induere possint, permittimus, quæ tamen

21. quæst. 4. c. Nullus. huiusmodi sit, vt ecclesiasticum hominem non dedeceat. Cum verò ad Ciuitatem perueniant, non sine talari veste per vrbem incedant; quod item in aliena Diœcesi seruari iubemus.

Cap. Clerici officia de vita, et honest. Cl. Caligas, & alia indumenta, non nisi nigri, aut fusci coloris (pardigli nuncupati) habeant; sicq; obseruari sub pœna carcerationis per dies

23. q. 8. c. Quicunque. quindecim, & vnciarum duarum arbitrio nostro pijs operibus applicandarum.

Pileo modesto, ac decenti ad pluuias, & aëris iniurias euitandas vtantur; non tamen in Ecclesia.

Anu-

Anulum, nisi officij, aut honoris gradum id aliquo iure postulet, nemini gestare liceat. famulos non alios, quam Deum timentes, ac modestè indutos habeant.

Coronam clericalem eius magnitudinis Sacerdotes gestent, vt hostia minor non sit; eam verò reliqui deferant, quæ gradui suo conueniant; & ita capillis semper abrasis, vt ab omnibus ea conspici possit.

Comam, & barbam nè studiosè nutriant: capillis verò simplicem dumtaxat cultum adhibeant.

Arma non deferant, nec armatum aliquem sibi comitem asciscant, nisi lõgioris, aut suspecti itineris caussa. quo in itinere arma non nefaria, sed quæ ad tutelam corporis necessariò adhibentur, eaque non palam ferenda permittimus; nec alia præter huiusmodi arma in proprijs domibus retineant. quamuis clericorũ arma, non alia, quam preces, & lachrymæ esse debeant. *Cap. Clerici de vita & honest. clericorũ.* *Paul. 2. Cor. c. 10.*

Domos, quas habitant, eiusmodi habere procurent, quæ à dignitate clericali non abhorrent.

Modestaque supellectili, ac frugali mensa contenti.

Proborum hominum tantum, præcipuè

clericorum familiaritate vtantur, & quorum consuetudine reliqui omnes bonam de eis opinionem concipere possint.

Per vicos, & plateas nè vagentur; non nisi honesta, & necessaria caussa domo exeant; qui contrafecerint, arbitrio nostro puniantur.

Publicè, vel priuatim laruati nunquam conspiciantur.

Comedias, Tragediasq; non peragant.

Circulatorum, atque id genus hominum spectatores non sint.

Publica conuiuia, præsertim, quibus mulieres intersunt, locaque vbi choreæ ducuntur, mimi, histriones, & id genus alia euitent omnino.

Taxillos, aleas, cæteraque ludorum genera Sacrorum canonum iure prohibita, non modò interdicimus, sed à conuentibus etiam, in quibus huiusmodi ludi exercentur, eos abstinere iubemus.

Don, quod communi voce nuncupantur, quod hominibus præponi solet, clerici non vtantur sub pœna vnciarum decem, & alia arbitrio nostro imponenda, donec ad ordinem Subdiaconatus peruenerint.

Quoniam verò non solum ob malum, sed etiam ob mali suspicionem in clericalis militiæ

homi-

hominibus populus vehementer offendi ſolet; id Trident. Conc. auctoritate iubemus, vt vbicumque clerici habitent mulierũ ſuſpectarum conſortium omninò vitent; nè alias quidem, matribus, ſororibuſq; exceptis, mulieres quaſcumque quouis etiam affinitatis, & propinquitatis gradu in ſuis ædibus cohabitandas permittant, abſque Archiepiſcopi licentia in ſcriptis habita. Seſſ. 25. c. 14 de ref. form.

Sed nec ipſas quidem patrimoniales ijs locent, quorum vitam, moreſque ſuſpectos eſſe cognouerint.

Cæterum, vt clericorum vita, quod intimo cordis affectu optamus, pura, mundaq; in oculis hominum ſemper verſetur, quæcumque pœnæ per Sacros Canones contrà clericum incontinentem conſtitutæ ſunt, ab illis plenè exigantur.

Cum clerici, vt eſt D. Pauli præceptum, ſæcularibus negotijs ſe ſe implicari non debeant; præſenti Conſtitutione ſtatuimus, nè clerici coram Iudice ſæculari, aduocati, & procuratoris officium agant, niſi in caſibus à iure permiſſis; nec non cuiuſcumque generis mercaturam, tabellionatus officium, medendi artem, prædiorumque conductionem interdicimus, ſub pœna arbitrio noſtro infligenda. 2. ad Timoth. 2. 4. Cap Clericus de poſtulando.

Verum etiam vetamus, vt nulla, nisi pia de caussa, iide iubeant, nec alicuius tutelam, aut patrocinium absque Archiepiscopi facultate suscipiant.

In laicorum ædibus, quamuis nobilium, nullus clericus minoribus etiam tãtum ordinibus initiatus, in aliquo clericali gradu minimè digno famulatu seruiat.

Sess. 23. c. 4. de refor

Omnes clerici in Ecclesia, cui Conc. Trid. auctoritate à Nobis adscripti sunt, vel in posterum ad ordinis suscepti functionem obeundi adscribantur, tandiù persistant, donec ad aliam ab Archiepiscopo mittantur.

Conc. Trid sess. 23. c. 6 de reform

Fori priuilegio non gaudeant, nisi clericale habitum, & tonsuram deferant, & alicui Ecclesiæ ex mandato Archiepiscopi inseruiant. Quæ simul omnia ita necessaria sunt, vt eorum singula nunquam prosint, nisi aliquod habeant beneficium iuxtà Sacri Conc. Trident. Constitutionem.

sess. 23. c. 4 de reform.

Plurimum autem decet, vt qui clericali militiæ adscripti sunt Ecclesijs inseruiant; idque non vt fori priuilegio gaudeant, sed vt ecclesiasticis disciplinis inseruiant.

Qui minoribus tantum ordinibus sunt initiati, eis sacram Eucharistiam semel saltem in mense in Ecclesia, in qua adscripti sunt, illis

verò, qui Subdiaconatus, vel Diaconatus ordinem sumpserint, decimo quinto quoque die omni pietatis studio sumendum præcipimus. quam curam in Ciuitate Parochis, in Diœcesi Vicarijs foraneis demandamus; vt suorum clericorum mores, & studia, num in Ecclesijs in quibus adscripti sunt diuinis officijs festiuis diebus inseruiant, Nobis, aut Vicario nostro Generali tertio quoque mense significent.

Qui item hac ipsa de re Archiepiscopum, eodem temporis spatio certiorem non facient, grauioribus (si res ita postulauerit) pœnis Archiepiscopi arbitrio plectantur.

Nullus in posterum audeat clericalem habitum sumere, aut assumptum dimittere absque Archiepiscopi facultate, quæ scripta datur.

Ne multis Ecclesiæ ministris eodem tempore absentibus, diuinus cultus deseratur, præsenti constitutione cauetur, vt nullus Sacerdos, nec etiam clericus à sua habitatione discedere audeat, sine nostris litteris commendatitijs obtentis; quod si secus fecerit, vltrà pœnas à iure inflictas, seuere arbitrio nostro puniatur.

DE SEMINARIO CLERICORVM.
Cap. III.

QVoniam hoc Collegium in hac nostra Ciuitate, multis antè annis erectum, *Cōc. Trid. Seß. 23. c. 18.*

atque

atque institutum, debet esse Seminarium Ministrorum Dei, in quo adolescentes ad curam animarum, & Ecclesiastica ministeria instituendi, atq; formandi sunt: nè finis iste vanus nunquam existat, promittant singuli spontè, ac liberè, quod nunquam ab ipso Collegio discedēt, nisi à Nobis petita, & impetrata venia. promittant autem expressè datis fideiussoribus idoneis, se omnes expensas restituturos, quas propter disciplinam, & elementa ad illam vsque diem consumpserint, si licentia non impetrata recesserint, vel si ad statum sæcularem redierint.

Non recipiantur in Seminario minores duodecim annis, nec aliàs vllo modo, nisi de legitimo matrimonio natis: maiores autem annis duodecim, nisi latinam linguam aliquo calleant, nequeant in Seminario admitti.

Sint eius voluntatis, ac indolis, vt sperari possit eos fore semper addictos Ecclesiæ, eoq; sint ingenio, solertiaq; & corporis sanitate præditi, vt credi facilè possit studiorum laboribus eos non esse vincendos, sed fore litterarum scientia claros, & muneribus Ecclesiasticis obeundis idoneos.

Quilibet recipiendus, legere, & scribere saltem sciat, cum recipitur, & qui vt cumque peritior

ritior extiterit, vel grammatices, vel alterius scientiæ ita cæteris in admissione præferendus erit, nisi alio teneantur impedimento.

Sint verè pauperes, & ex patre paupere, dũmodò suum patrimonium habeant juxtà Constitutionem Synodi præsentis; neque tamen divites, & filij diuitum intelligi debent exclusi, dummodò suo sumptu alantur, & Deo, ac ipsi Ecclesiæ cupiant inseruire. Sess. 23. et 25. de reform.

Et quoniam ipsi ad sacerdotium diriguntur, cæteraq; Ecclesiastica munera obeunda destinantur, oportet, vt omnibus illis notis careant, ac maculis quibus arceantur, & de iure homines ab hujusmodi dignitatibus, atque muneribus priuari solent: quod quidem est diligentissimè perquirendum antequam in Seminario recipiantur.

Teneantur omninò Christianæ Doctrinæ, seu Catechismi præcepta non audire tantum ab ijs, quibus tale onus iniunctum fuerit, sed etiam illa diligenter memoriæ mandare, vt quamprimum admissi fuerint, & in Collegium recepti, statim habitum clericalem induant, juxtà ritum Romanæ Ecclesiæ.

In incessu venustatem, in omni gestu, motuq; grauitatem ostendant, & ab omni demum impatientiæ, ac superbiæ suspicione sint alieni.

Lai-

Laicorum omninò frequentia euitetur, nullusq; in seminarium hospitio recipiatur, sine nostra speciali licentia, præcipuè ad pernoctandum.

Eo ipso tempore, quo recepti fuerint, teneantur generalem Confessionem emittere, per quam omnia ante acta vitæ crimina purgentur.

Doceantur etiam, quo pacto debeant singulis diebus propriam excutere conscientiam, quo etiam modo orare, & Deo reconciliari, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum accipere, quando per ætatem licebit.

Missæ sacrificio singulis diebus deuotè intersint, singulis autem octo diebus confiteantur peccata sua, & Corpus Domini sumant, quatenus Confessori videbitur.

Dominicis, festisq; diebus Missam solemnem, ac Vesperas (dummodo Archiepiscopus ipse intersit) prædicationem, lectionemq; pro tempore audiant.

Edoceantur quo pacto sensus omnes proprios custodire debeant, præsertim oculos, aures, & linguam, quomodo etiam abstinere ab omnium vitiorum genere, & humilitatem, pacemque mentis conseruare debeant.

Rector Seminarij habeat librum, in quo om-

omnes, & admissos, & admittendos, & eos etiã, qui eijciuntur describat.

Deputati eligantur, sine quorum consilio, & consensu Rector præter quotidianas expensas non impendat, neque agat, aut contractus vllos celebret. Pecunia asseruetur in capsa Seminarij, quæ tres habeat claues, quarum vna asseruetur per Rectorem, aliæ duæ per Deputatos.

Omnes amore virtutis potius, quam pœnæ formidine diligenter prædicta obseruent, atque custodiant: sin autem in aliquo defecerint, excipiant humiliter munitionem.

DE REGVLARIBVS. Cap. IV.

CVM Regulares in vineam Domini vocati sint, vt in ea excolenda per suorum Ordinum instituta Regularia omni charitatis officio operam suam, & auxilium præstent; idcirco eos in Domino vehementer hortamur, vt quæ sancita sunt à S. Conc. Tridentino, ipsisq; omnino iubentur, ea quoque in hac nostra Diœcesi studiosè obseruent.

Illud in primis Regularium Superiores curent, vt in suis Monasterijs, vbi id commodè fieri potest, idoneos Magistros habeant, qui

ſacram Scripturam interpretentur. Ita enim fiet, vt qui in Monaſterijs commorantur, grauiſsimis, ſanctiſſimiſque Doctorum diſciplinis incumbentes, & ad diuinarum rerum meditationem inflammentur, & ad quæcunque Eccleſiaſtica munera obeunda idonei reddantur.

Quoniam Regularibus, in Eccleſijs, quæ ſui Ordinis non ſunt, abſque Archiepiſcopi conceſsione, in ſuis verò, abſque ſuorum ſuperiorum facultate, & Epiſcopi benedictione, vt eſt à Concilio Tridentino ſancitum, prædicandi munus obire minimè licet; Iccirco eorum Superiores in Domino rogamus, vt ad huiuſmodi officium eos tantum Nobis proponant, quos probi mores, & vitæ ſanctitatis commendent.

Seſſ. 5. c. 2. de refor.

In hoc autem concionandi munere præſtando ea omnia ſequi ſtudeant, quæ Concionatoribus ad fideles in via Domini inſtituendos, in noſtra Conſtitutione de Verbi prædicatione propoſuimus.

Ad Confeſsiones audiendas, vel alia perficienda, quæ ad animarum curam pertinent, nullus, quamuis à ſuis Superioribus electus, niſi ab Archiepiſcopo, vel eius Vicario Generali fuerit approbatus, accedere audeat.

Seſſ. 23. c. 5. de refor

Quicunque verò ad tantum myſterium re-

cepti erunt, omnia, quæ de pœnitentiæ constitutione seruari edicimus, vt ipsi quoque studiosè seruent magnopere hortamur.

Sciant præterea ex Sanctæ Sedis Apostolicæ declaratione, nemini ipsorum, ab illis casibus, quos Archiepiscopus sibi reseruauit, cuiusuis priuilegij auctoritate absoluere licere, nisi Bullæ priuilegio, aut speciali licentia Domini Archiepiscopi.

Illud etiam Regularium Superiores studiosè curent, vt alia ad animarum curam spectantia peragantur; scientes huic tanto oneri non ei se fecisse satis, quod fidelibus Sacramenta tantũ ministranda alicui demandarint; nisi & reliqua pietatis, & curæ officia, quæ nostris constitutionibus proposuimus præstanda studeant.

Cum ex Concilij Trident. decreto censuras, & interdicta etiam ea, quæ per Nos emanarint, enunciare Regulares Archiepiscopi iussu debeant. Idcircò quoties intra annum edicta nostra censuras huiusmodi continentia illis traduntur nostro nomini promulganda, ea siuè inter concionandum, siuè inter Missarum solemnia populo suis temporibus publicent. *Sess. 25. 12. de regul.*

Ad publicas processiones Regulares vocati, etiam exempti, ijs tamen exceptis, qui in arctiori clausula perpetuò viuunt, non solum in- *Cõc. Trid. sess. 25. c. 12. de regul.*

Vrbe, sed etiam in Diœcesi vbi Monasteria habeant, semper accedant, atque in ijs eum locum teneant, quem tenere consueuerunt.

Leo X. in Cōcil. Later. Vt Matrici Ecclesiæ debitus honor reddatur, campanas in Ecclesijs suis Sabbato sancto non pulsent, antequam Cathedralis pulsauerit; à qua, & non aliundè sacrum oleum infirmorum assumant.

Quæ in Missæ sacro faciendo sæcularibus Sacerdotibus constitutioni de Missarum celebratione seruanda præcipimus, eadem quoque, & ipsi Regulares pro tanti Mysterij dignitate seruent, vehementer hortamur.

Cōc. Trid. sess. 22. de obseruād. et euitād. in celebr. Missæ. In priuatis verò ædibus, vbi Oratoria sint ab Episcopo etiam approbata, nullo modo celebrent, multò minus in Ecclesijs Monialium, nisi obtenta ipsius Archiepiscopi licentia.

Sess. 22. de obseru. & euit. celebr. Missæ. Et quod de peregrinis Sacerdotibus ad celebrandum sine Archiepiscopi facultate, non recipiendis in eadem Constitutione iussimus, id sibi omninò ex eodem Concilio seruandum esse intelligant.

Illud quoque per eos nosse oportet, quod accedentes ad Monasteria Monialium ad colloquendum contra formam decreti, quo huiusmodi accessus per sacram Congregationem prohibetur, vltra pœnas priuationis officio-

runt, incurrere etiam pœnam peccati morta-lis, vt ab eadem sacra Congregatione declaratum est.

Quicunque Regularium aliqua etiam hone-sta caussa, & cum Superiorum suorum facultate, non tamen sub eorum obedientiam, vitam extrà Monasterium degunt; si quid religioso homine minus dignum commiserint, sciant se ab Archiepiscopo, tanquam à Sedis Apostolicæ Delegato puniendos esse.

Qui verò extrà Monasterium recedentes prætextu etiam Superiores suos adeundi absque eorum scripto mandato reperti sunt, tanquam sui instituti desertores plectentur. Sess. 25. 4. de reg.

Ac multò magis ij, qui Religionis habitum deseruisse cognoscantur.

Quibus omnibus, in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, vt qui nunc intra Diœcesis nostræ fines hac ratione viuunt, post secundum Mensem ab harum Constitutionum promulgatione, vel Monasterij relicti, vel habitus depositi caussam apud Archiepiscopum ostendant.

Quod si quis hanc facultatem in futurum, vel à Summo Pontifice, vel à suo Religionis superiore extrà Monasterium, seu etiam sub alio habitu manendi obtinuerint, hanc secundo

statim

statim post ingressum in Diœcesim mense Archiepiscopo ipsi eadem ratione ostendant; alioquin agetur cum ijs, pœnis, quæ aduersus Apostatas decretæ sunt.

Cum Sanctissimi Domini Nostri Gregorij XIII. fœl. rec. & nuper Constitutione Gregorij XV. omnibus Regularium Ordinibus iussum sit, vt vbicunque eorum Monasteria reperiuntur; ibi Conseruatorem ex Iudicibus Synodalibus sibi deligant; ideò in hac præsenti Synodo iuxtà prædictam Constitutionem eos Iudices Conseruatores nominandos curauimus.

Conc. Trid. sess. 7. c. 14.

Vt laudabili Regularium instituto consulamus, quo sæculares mulieres religioso quodam habitu superuestitas peculiari ritu, ac forma ad sui Ordinis gratias, & indulgentias consequendas adscribant; earum Præpositas exhortamur, nè de cœtero vllam sæcularem mulierem admittant; nisi iuxtà præscriptam in ipsarum Institutionibus ætatem, & quin prius omnem eius vitæ rationem studiosè perscrutentur.

Quoniam verò earum nonnullæ Dei timore postposito, ac sui immemores, non sine Christi fidelium scandalo vagantur; hac nostra Synodali Constitutione præcipimus, vt suspectarum mulierum consortia fugiant, neuè illa-

rum

rum vllo modo sint in famulatu, aut comitatu; secùs, exilio puniemus, ac etiam pœnis arbitrio nostro infligendis.

Non liceat in posterum vlli sæculari mulieri eiusmodi habitum, nec etiam ex voto gestare, ac deferre, nisi illum à Religiosi Ordinis Superiore peculiari ritu de more susceperit; vt suprà dictum est; secus arbitrio nostro seuerè puniantur.

DE MONIALIBVS. Cap. V.

SAcras Virgines, quæ, vt vitam à sæcularium consuetudine semotam religiosam traducant in Monasteria se se perpetuò recipiunt, Apostoli auctoritate monemus, vt semper cogitent, quæ Domini sunt, eique diligenter ea vota reddant, quibus pro suæ regulæ institutis se sanctè obstrinxerunt. Quare Sacri Conc. decretis Apostoli earumque constitutionem auctoritate hac ab illis seruari præcipimus. 1. ad Cor. 7.

Omnes in primis communiter viuant, & nihil proprium habeant, nihilq; priuatim, aut separatim possideant. Côc. Trid sess. 25. c. 2. de reg.

Quamobrem eleemosynæ, munera, legata, & quæcunque alia bona, quæ testamento, siuè donatione, siuè quauis alia caussa in alicuius

virginis manus deuenerint, in communem Monasterij vtilitatem conferantur.

Præfecta verò pro sua prudentia, & charitate; quam curæ suæ commissis debet, nihil ipsis deesse patiatur, quarum nomine ea bona ad Monasterium peruenerunt.

Diligentiam Præfecta adhibeat, vt omnes die, noctuque præscriptis horis (horum frequentent; sacrisque officijs distinctè, pieq; celebrandis (quibuscunque sublatis colloquijs) intersint; ijs tantum exceptis, quas Præfecta excusandas duxerit.

Officijs autem absolutis, è Choro non ante discedant, quam ab ea dimittantur.

Quotidiè, manè, & vesperi, in mensa, aliquẽ spiritualem librum vulgari lingua conscriptũ, ac Superioris, & Confessarij iudicio probatum; cæteris discumbentibus, attenteque audientibus legendum curet.

Singulis verò diebus Dominicis, alijsque solemnibus festis, præter eam lectionem, aliam etiam Regulæ partem eis post prandium constitutam in Capitulo congreatis recitari iubeat; cumque ad illius finem peruentum fuerit, eadem, vt à principio repetatur, efficiat; vt ad illius obseruationem omnium mentibus recens memoria frequenti repetitione inhæreat.

Eius

Eius curæ etiam sit, vt spirituales libri, quorum lectione Moniales ad excitandam animi pietatem priuatim vti debent, Superioris, vel Confessarij iudicio sint probati, nec aliquando librorum lectione à pietate arceantur.

Monialium Superiores omni pietatis studio in id incumbant, vt omnes semel singulis octo diebus, alijsque solemnioribus festis peccata sua confiteantur, Sacram Communionem percipiant, & salutari aliqua Concione ad pietatem colendam excitentur. *Sess. 25. c. 25. de reform.*

Insuper, bis, aut ter in anno, præter proprium Confessarium, Sacerdotem aliquem illis offerant, qui ipsarum confessiones audiant. *Sess. 25 c. 10 de Monial.*

His autem diebus, quibus Sacram Communionem sument, atque his horis, quibus in Choro diuinis officijs, & orationibus vacare debent, nullo modo ad collocutionum fenestrellas accedant, nisi id aliquando iuxta, & necessaria caussa (Præfectæ iudicio) postulabit.

Confessiones Monialium, nè Sacerdos vllus audiat, qui ab Archiepiscopo propositus, & ad id munus probatus non sit.

Confessiones autem, loco tantum intrà Ecclesiã extra Monasterij septa cõstitutio, audiat

Nemini Monasterij septa, nisi designato Sacerdoti ob Sacramenta ministranda in necessitate, ingredi liceat.

Cum verò ingreditur, admoneantur Moniales campanæ signo, vt sese recipiant, nec ipsæ, dum intus ille erit, sine comitatu trium Monialium, quæ veteres sint ætatæ pro uectiores compareant.

Nulla Monasterij Præfecta in posterum quacunque ex caussa Sacerdotem aliquem in sua Ecclesia Missæ sacrum faciendi munus permittat suscipere, qui specialiter in eadem Ecclesia hanc celebrandi facultatem ab Archiepiscopo sibi concessam non ostenderit.

In Monialium Ecclesijs, in quibus Sanctissimum Christi Corpus seruari solet, illud in Altari maiori extrà Monasterij septa, vt à Triden. Conc. sancitum est, locetur.

Præfectam, nullam ex Monialibus cum aliquibus exteris colloqui patiatur, nisi cum ijs, qui primo, aut secundo consanguinitatis gradu coniuncti sint, vel cum ijs, qui legitimam colloquendi scriptam concessionem attulerint, quam Præfecta ipsa perlegat, antequam Monialis ipsa, quæ in ea concessione scripta est, ad colloquium veniat. His autem colloquiis auscultatrix semper intersit.

Quæ verò Monialis alia ratione cum aliquo loquuta erit, trium mensium spatio à collocutionum fenestrellis arceatur.

Mulieri autem, nisi mater illa sit, vel soror, Monialem loqui non prius permittat, quam mulieris ipsius nomen, ab ijs, quæ ianuæ propositæ sint sibi significatum erit, nè fortè contingat, vt mulier, quæ probatis moribus non sit ad huiusmodi colloquia recipiatur.

Cum autem recepta erit, eadem sermonibus audiendis Præposita curet, vt inter eos loquendi finis ponatur, nè tempus inutiliter conteratur.

Musicæ, vel alterius artis docendi caussa, nemini, neque viro, etiam si Clericus sit; neq; fœminæ ad Monasterium accedere licet.

Nulla Monialis ad aliquem, præterquam ad Monasterij Superiorem, si quid erit, quod eum scire oporteat, aut secretò litteras mittere, aut ad se missas legere, vel consignare audeat, nisi eas prius Præfecta legerit.

Sinè eius etiam consensu, nec munera mittere, nec accipere possit.

Quæcunque non paruerit, pro ratione contumaciæ grauiter puniatur, ac multo magis, si litteræ alicuius criminis suspicionem attulerint.

Si quæ Monasteria sunt, in quæ è vicinarum ædibus, aut locis prospectus sit; videant eorum Superiores cum Archiepiscopo, vt prospectus hic impediatur: procurantes, vt parietes erigantur altius (si opus sit) aut noui ædificentur eorum expensis, ad quos ipsi iudicauerint pertinere, appellatione remota.

Nemini cuiusuis sexus, ætatis, conditionis, Monialium septa ingredi liceat, præterquam ijs, quorum opera Monasterio necessaria est, qui sint moribus, & ætate à Superioribus probati, & legitimam facultatem quotannis renouandam habeant, & eos comitatrices (vbi ingressi fuerint) semper comitentur, qui cum alijs nullo modo loquantur.

In ea concedenda illud diligenter Superiores curent, vt quæ intus officia Moniales per se obire possunt, ad ea præstanda, exteri viri, vel mulieres non introducantur.

Præfecta verò eos, qui introducti illa ratione sunt, diutiùs intùs morari nō patiatur, quam necessitas postulet, quibus tamen pernoctare omninò prohibitum est.

Seß. 25. c. 5. de reg. Quicunque alia ratione ingressus fuerit, excommunicationis pœnam ex Conc. Trid. decreto ipso iure incurrere se sciat.

Monialis verò, quæ aliquem cuiusuis ætatis,

etiam si infans sit introduxerit, siue marem, siue fœminam quocunq; etiam affinitatis gradu sibi coniunctos, pro tanta temeritate ea pœna plectetur, quæ Nobis videbitur; quam etiam illæ subibunt, quæ rotæ ac ianuæ Præpositæ sint; nec non ipsa etiam Præfecta, si id eius consensu, aut permissu commissum sit.

Cum electioni Præfectæ Superior interfuerit, Monasterij septa nè ingrediatur, sed ad collocutionum fenestellas maneat, occultè ibi suffragia accepturus. *Sess 25. c. 7. de reg.*

In qua electione hæc in primis videnda sunt, nè aliquam natu minorem annis quadraginta ad id muneris deligi permittat, nisi necessitas exigeret, & ex tribus, duas saltem suffragiorum partes illa habeat.

Sed si Præfecta plures in Monasterio germanas sorores habeat, illis, neque Vicariæ, neque Ianitricis, neque Scribæ, aut Cellerariæ officia committantur. Vt munus hoc minimè ambiuisse videatur, cuius ambitus, si quam superior ream deprehenderit, grauiter illam puniat.

Quare & Moniales electionis ipsius initio vehementer hortetur, vt in dandis suffragijs, affectu omni deposito, nihil aliud spectent, quã Dei honorem, suiq; Monasterij vtilitatem.

Mona-

Monaſterij ianua, ab ea, quæ illius curam gerit, vna ſaltem claue occludatur, nec vnquam ſine Præfectæ conſenſu aperiatur, quæ eidem ſociam aliam ſemper adiungat.

Noctu verò duabus clauibus, quarum vna Præfeſta penès ſe habeat, altera antiquior Ianitrix teneat, aut ambas ipſa Præfecta.

Ad feneſtrellas autem, ad quas colloquendum eſt, ferrei cancelli apponantur; vt partem parietis interiorem lamina etiam ferrea adiungantur foraminibus ſuis diſtincta, nec ea aliqua ex parte aperiantur, niſi quando erit cum Archiepiſco, vel alijs Superioribus, aut cum parentibus, fratribus, aut nepotibus colloquendum; aut cum inſtrumentum aliquod conficiendum, vel Sacram Concionem audire oporteuerit.

Locus laborum in vnoquoque Monaſterio extruatur, qui ſitus illuſtris eſſe debet, nec ab vlla parte ſubobſcurus, Moniales eò conueniant, exceptis horis diuinorum officiorum. Laboribus Magiſtra præficiatur, nec vlla monialis, præter eam, in accipiendis, vel reſtituendis ſe ingerat; curet autem, vt dum in laboribus exercentur, lectio de vita ſpirituali adhibeatur, nè ſermones, aut cantus inferantur, nec vlli diſcedendi facultatē faciat, niſi iuſta ex cauſſa.

Con-

Constituatur capsa, vt illa communis pecunia reponatur præsentibus Monasterij Præfecta, & Vicaria; Magistra verò laborum librum certum habeat, in quo quicquid lucri, emolumentiq; capitur, enucleatè præscribat, vt possit facilè, ac distinctè singularem labores inspicere.

Communis ægrotantium locus, quem Infirmariam vocant omninò retineatur: Extrà eum monialis ægrotans, nè cubet, nec valetudine recuperata illic diutiùs immoretur, neque etiam extrà illum Medicus vllam inuisitet, aut Sacerdos Confessiones audiat; nisi aliud peculiaris occasio postulet: Aegrotantibus suppeditentur omnia sumptibus Monasterij, alimenta, lectuli, medicamenta, cæteràque necessaria.

Eligatur monialis cum aliquibus sororibus auxiliaribus omni solicitudine, sedulitate, & charitate præstantes, quæ ægrotantium curam gerant, ac tales se illis præstent, quales cæteras vellent, si ipsæ ægrotarent.

Præfecta curæ ægrotantium, & Cellararia pecuniarũ expensarum rationes præscriptas habeant, & singulis mensibus Abbatissæ referãt, vt quomodo sè res Monasterij habeantt, intelligere possit.

Anti.

Antiquius, & probatus vſus communium dormitionis locorum non immutetur, cuius claues à Præfectâ aſſeruentur; ſingulæ in ſingulis lectulis, ac ſingulis cellulis dormiant. Dato autem ſigno eundi cubitum, repentè vnaquæque cum ſilentio, & ſolitudine in ſuos lectulos, & cellulas ſe recipiat, vbi nil, niſi neceſſaria reponant; veſtimenta enim, veſtituſque omnia in loco veſtiario aſſeruanda ſunt.

Singulis hebdomadis exponatur tabella cum indice monialium, quæ coquinæ, aut triclinij ſeruitio ſunt addictæ, quæ electæ fuerint, vt obedientia poſtulat, officia ſuſcipiant, & munera ſine excuſatione humiliter exequantur; nec vlla quouis modò ab huiuſmodi miniſterio ſit excluſa.

Vicaria quoque antequam detur edendi ſignum, coquinam inuiſitet, num omnia ſint bene diſpoſita.

Cum de puella ad ſacrum habitum admittenda agatur, non prius ad illum admittatur, quam Archiepiſcopus, aut is, cui ille hoc negotium demandarit, vt eſt Conc. Trid. ſanctio, puellæ voluntatem explorarit, moreſq; vitam, & ætatem, quæ duodecim annis omninò ſit, inquiſierit.

Sess. 25. c. 17. de regul.

Neque verò tunc recipiatur, niſi duas ſaltem,

tem,

tem, vel tertias suffragiorum partes illa obtinuerit. quod si semel iterum & tertio proposita suffragiorum illum numerum non fuerit consequuta, amplius recipienda minimè proponatur, sine Archiepiscopi facultate.

Neque prius habitu induatur, quam ab eo, vsque die, quo recepta à Capitulo est, sex menses præterierint; nisi Archiepiscopo semestre hoc tempus, vel producendum, vel contrahendum videatur.

At si Confirmationis Sacramentum nondum suscepit, antequam habitum sumat, illud omninò suscipiat.

Caueat autem Superior in ipsa habitus susceptione, nè gentilis, sed Christianæ, sanctæque mulieris, puellæ nomen imponatur.

Nulla vnquam recipiatur in Monasterium, nisi prius parentes, fratres, vel curatores promptam habuerint vniuersam pecuniam, In hac Ciuitate vnciarum viginti quatuor: Corleonis, in Monasterio S. Mariæ, & S. Saluatoris, vnciarum quatuordecim; In cæteris verò vnciarum duodecim reditus, ex qua puellæ nomine annuus reditus ematur alimentorum caussa, pro ea portione, quæ imponenda est vsque ad professionis diem cedat, ea verò sequuta integer acquiratur.

In habitu autem ſuſcipiendo pompa aliqua adhibeatur, qua ſpiritualis lætitia ſignificetur; & à propinquioribus mulieribus in Eccleſia deducta, in interiorem Monaſterij partem intromittatur, ex quo loco, Miſſa audita, Sacra Communione ſumpta, cæteriſque ſolemnibus cæremonijs adhibitis, coram monialibus à ſuo Superiore veſtiatur, qui ad eam in re tam ſancta, ac graui, aliquo pio ſermone vtatur, quod etiam in profeſſione ſeruetur.

Quibus in Monaſterijs Virgines ſacræ pauciores numero quinquaginta reperiuntur, plures, quam duæ, vel tres germanæ ſorores non recipiantur.

Vbi verò numerum hunc excedunt, tres, vel quatuor ad ſummum eiuſdem generis recipi poſſint; niſi iuſta aliqua, & graui ex cauſſa, vt his plures etiam admittantur, Archiepiſcopus aliquando conceſſerit.

Dum ſacræ Virgines in Nouitiatu permanſerint, cum ſola tantum Magiſtra eis præpoſita uerſentur, locoque ab alijs monialibus ſeparato in ſuis ſingulæ lectis, & in eius conſpectu dormiant.

Cui etiam curæ ſit, Nouitias ipſas in timore, & Dei cultu, atque in probatis Monaſterij Inſtitutionibus erudire.

Ad

Ad professionem virgo aliqua non recipiatur, quam sextum decimum annum compleuerit; atque annum integrum in probatione fuerit: alioquin professionem nullam tunc fore intelligatur, iuxtà Concil. Trident. constitutionem.

Præfecta triginta ante diebus Archiepiscopum de professione facienda moneat, vt puellam de moribus, vitæque consuetudine edoceat; & an requisitas conditiones illa obtineat, quas Monasterij, & Ordinis regula postulat; tum an legere congruè sciat, explorare maturè possit. *Seß. 25 c. 17. de reg.*

Moniales verò suffragia singulæ singula per se ipsas secretò dent, non per alias, nulloque affectu, vel odio impeditæ.

Monialis verò nulla sit, quæ suam statuto tempore professionem non emittat; quæ si non sit, professura, dimisso habitu in domum suam remittatur, vt Santissimi Domini Nostri Gregorij XIII. constitutione sancitum est.

Cum ad professionem recepta erit, professionis ipsius anni, diei, mensis, dotisuè memoria in libro ad id confecto, adhibita etiam eius subscriptione, quæ professa sit, dummodò scribere sciuerit.

Specula, suffimenta, vnguenta, catellos; &

alia quæcunque delitiarum caussa comparata, moniales non habeant.

Neque sæcularium vestibus, nè animi quidem relaxandi caussa vllo modo induantur.

Per saltem in anno Præfecta, vnà cum Vicaria, & alia ex antiquioribus monialibus cellas, supellectilem, libros, & quæcunque monialium scripta diligenter inquirat; etsi quod inuenerit, quod Dei ancillis minus conueniat, vel nostris hisce decretis contrarium sit, statim auferat, monialemque suo arbitrio pro ratione culpæ puniat.

Præfecta omni diligentia illius monialis libros, cui bonorum Monasterij administratio commissa est, frequenter inspiciat.

Atque singulis tribus mensibus accepti, & expensi rationes ad capitulum referat, vt moniales omnes statum Monasterij cognoscere possint.

Easdemque prorsus rationes ipsius Monasterij Superiori accurate reddat.

Quæcunque Monasterij bona, stabilia, ac etiam inobilia, alienare, permutare, vel locare moniales inconsulto Superiore, ac etiam in præsentia ipsius Monasterij procuratoris nullo modo possint. Quod si secus fiet, moniales ipsæ, ad arbitrium Illustrissimi, & Reuerendissimi

sissimi Domini Archiepiscopi, actiuæ, & passiuæ vocis suffragio priuentur; Notarius verò pœna vnciarum viginti quinque mulctetur.

Nè item ædificent, etiam si minimum ædificium sit, sinè Archiepiscopi facultate.

Nulla insuper monialis, siue professa illa sit, siuè non, possit eleemosynam dare, largiri, aut vendere res, esculenta, vestes, aut bona cuiuscunque generis sint, etiam si ad eius vsum fuerint attributa.

Abstineant moniales à muneribus dandis directè, vel indirectè, occultè, palam, tam in communi, quàm in particulari; etiam ex caussa, & occasione benedictionis, & susceptionis habitus regularis, aut professionis emittendæ, nec proprijs affinibus, propinquis, familiaribus, &c iuxtà Bullam editam per Clementem Papam VIII. de munerum largitione.

Ne autem debita erga consanguineos, & benefactores officia in totum denegari videantur; fas erit singulis monialibus, bis in anno Sanctissimis Natiuitatis, & Resurrectionis Domini diebus esculenta, leuiora munuscula ijs elargiri; quæ non excedant summam vnius aurei, pro qualibet vice.

Nullus insuper Tabellio, siue Notarius ad monialium Monasteria accedere audeat, caussa

conficiendi aliqua instrumenta cum monialibus ipsis sine Illustrissimi Archiepiscopi licentia, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & unciarum quindecim, ac etiam contractus ipsi inualidi sint.

Monialis aliquo ex affinibus defuncto, ità non contristetur, vt Choro, Missæ, & communi refectioni non intersit.

Protectores, causarum Aduocati, negotiorum Actores, Procuratoresuè, exactores rationum, & librorum detentores; cæteriq; omnes ministri sine Archiepiscopi consensu non dimittantur, ac reijciantur.

Confessores in iuuandis monialibus sedulò incumbant, nihilq; dono accipiant; Eucharistiam ministrent, illasuè ad viam salutis dirigãt.

DE PVELLIS SAECVLARIBVS, QVAE IN Monasterio educantur. Cap. VI.

IN his autem puellis, quæ educationis causa in Monasterijs collocantur, Sacra Illustrissimorum S. R. E. Cardinalium Congregatio, qui regularium negotijs sunt præpositi, quædam obseruanda proponit, quæ omnia, & singula ab omnibus recipiẽda districtè præcipimus, præter alia, quæ à Nobis sunt determinata.

Illud in primis curandum est, vt puellæ honestis parentibus ortæ, non minores decem, nec maiores viginti quinque annis sint.

Nec minori pecuniarum summa quotannis à parentibus Monasterio soluenda, quam quæ ad eius victum commodè sustentandum sufficere possit.

Puellæ educationis caussa receptæ, cum ad vigesimum quintum annum peruenerint, si sacrum habitum non sumpserint, diutius nè retineantur.

Pro eo tantum suscipiendo, prius ab Archiepiscopo, vel ab eo, cui ille hoc negotium dederit, examinetur, vel ad suos proprios mittatur, apud quos saltem per mensem maneat, vt facilius certa eius voluntas explorari possit.

Quandiu id genus puellæ in Monasterio manebunt, laneas vestes, nigri tantum, vel fusci coloris, vel albi induant.

Armillis, & quouis exquisito ornamento nullo modo vtantur.

Dormiant item in loco à monialibus separato, ijs exceptis, quæ illarum curæ præpositæ sint.

E Monasterio nunquam exeant, aut si semel sine facultate Archiepiscopi iusta ex caussa concedenda exierint, in Monasterium amplius

plius non recipiantur.

Omnes Præfectas in Domino monemus, vt cæteras sacras Virgines, non modò suo exemplo ad ea omnia, quæ hac Constitutione præscribuntur obseruanda inuitent, sed etiam auctoritate compellant. Quod si aliqua monialis eius temeritatis erit, vt etiam pœnitentias à Præfecta sibi iniunctas non expleuerit, aut quacunque alia ratione ei humiliter non obedierit, tum Præfecta ipsa ad Monasterij Superiorem deferat; aliàs sciat, se Deo rationem reddituram de huiusmodi conniuentia.

DE CONFRATERNITATIBUS, ET Sodalitijs. Cap. VII.

DEcet in Ecclesia Dei, quæ est veluti Castrorum acies ordinnata, omnia ordine constituta esse; ideò Confraternitatibus omnibus nostræ iurisdictionis mandamus, vt infrà duos menses regulas, secundum quas se regere, viuere, ac gubernare debeant, scribant, easdemq; Nobis transmittant, si Nobis videbitur expedire, seu deferant, vt approbentur, aut reijciantur secundum quod opus, & necessè erit; vt si quis Confratrum iuxtà eas viuere neglexerit, vel eas quoquomodo contempserit, si post-

poſtquam à Rectoribus ipſarum Confraternitatum ter admonitus fecerit, & non reſipierit, è fratrum ſocietate expellatur; nec vllo modo ipſorum fratrum priuilegijs gaudere permittatur, nec ſine Archiepiſcopi licentia admittatur.

Nulla autem Confraternitas abſque noſtra ſpeciali licentia erigatur; quæ verò creatæ ſunt, & à Nobis non confirmatæ, intrà menſem confirmationem obtineant; aliàs nunc pro tunc illas extinguimus, & extinctas eſſe volumus.

Nullus in poſterum in confratrem recipiatur, qui prius probatus non ſit, an ſciat Fidei rudimenta: ſi autem turpem vitam ducat, in confratrem non admittatur.

Si autem poſt ſedulitatis ingreſſum, ſit facinoribus, ſeu prauis moribus imbutus, ſi ſemel, aut bis monitus, non ſe corrigat, deleatur de numero confratrum cum Ordinarij licentia.

Præſcribantur dies certi, quibus ritè confeſſi, Euchariſtiam ſument.

Rectores, non minus quam duo eligantur, nec ab alijs, quam ab ipſis Sodalibus.

Adminiſtratores electi infrà dies quindecim prædeceſſorum computa recipiant: quos autem repererint iniquè diſtribuiſſe, vel in

sinum commodum vertisse, vel inutilibus, & superuacuis sumptibus profudisse, ad Archiepiscopum deferent. qui, nisi ij de gesta administratione rationem, iuxtà Conc. Trident. præscriptam formam, reddiderint, ad restitutionem legitimè compellat, ac per delicti grauitatem puniat.

Cõc.Trid. sess. 22. c. 9.

Nec Rectores liberationem faciant, nisi sciente Archiepiscopo, vel eo, cui de iure demandabitur: aliter factæ liberationes dictis administratoribus minimè suffragentur.

Non admittantur confratres, qui pecuniam ipsi Confraternitati quouis modo debeant, nec qui Ecclesiæ bona conduxerint, vel locauerint.

Cauendum est etiam, nè Rectores, & quouis titulo Superiores, Thesaurarij, Procuratores in suscepto munere confirmentur, nè videlicet, si diutiùs quàm per annum in curatione sibi permissa perseuerent, rerum sibi abrogent imperium.

Pecunias, quæ ex Sodalium eleemosynis, & taxationibus, aut ex annuis reditibus, quibuscunque alijsque prouentibus obueniunt, apud se Procurator nullo modo retineat; sed apud Thesaurarium ab Archiepiscopo confirmandum; nec expendantur, nisi ad chirographas Rectorum subscriptionibus signatas.

Quæ

Quæ verò ex certis legatis, & pia fidelium dispositione persoluuntur, nulli vsui applicentur, sed legatarijs ipsis asseruentur; expensiones aliter factas Thesaurarius ære proprio reficiat.

Vt autem Ecclesiasticorum bonorum conseruationi consulatur, multisque fraudibus occurratur, decernimus, nè in posterum Ecclesiastica bona locent, permutent, alienent, quin Archiepiscopi, aut Vicarij Generalis auctoritate muniantur; sin autem contractibus eiusmodi auctoritas non accesserit, irrita omnia, & nulla declarentur; & qui ea possidet, à possessione statim amoueatur, & qui alienarit, seuerè arbitrio nostro puniatur.

Et quia ad aures nostras peruenit, bona aliqua Ecclesiarum huius nostræ iurisdictionis sinè auctoritate Archiepiscopi, seu aliorum Superiorum, & absque alijs requisitis conditionibus fuisse alienata; Nos, vt Ecclesiarum indemnitatibus consulamus, præsenti constitutione dictas alienationes irritas declaramus.

Piorum locorum bona, Rectorum arbitrio nè locentur, sed publicè locanda proponantur.

Si quis autem ex Rectoribus per se, vel per interpositam personam, & quouis nomine

conduxerit, ab administrationis munere arceatur, nec dignus in posterum censeatur, cui talium rerum administratio demandetur.

Non liceat fabricas de nouo inchoare, nec expensas extra ordinem pro quauis re facere, inconsulto Archiepiscopo; vel pretiosa mobilia vendere, aut permutare.

Cappellanum non admittant, dimitantuè, nisi licentia ab Archiepiscopo petita, & obtenta; nec constitutum stipendium, sine nostro speciali mandato, augeant, vel diminuant.

Is autem in eorum Oratorijs ramos benedicere, ut hebdomada Maiori, aut cinerem benedictam initio sanctæ Quadragesimæ imponere nullo modo possit.

Ad tollendos abusus, qui contingere possent, prohibemus Cappellanis, aut Rectoribus Sodalitiorum, & Confraternitatum ne de cætero in ipsorum Oratorijs, Ecclesijs, Sacristijs, nec in ipsis etiam Cappellani ædibus admittantur ludi, & conuentus illiciti: id, si contingerit, Cappellanus Archiepiscopo deferat; secus pœnam incurrat suspensionis ipso facto. Rectores ad idem teneantur, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

DE PROCESSIONIBVS.
Cap. VIII.

CVpientes, vt Processiones publicæ, quæ ad festiuos dies solemnizandos, aut Diuinam iram placandã, aut Deo gratias reddendas fieri solent, ea modestia, & deuotione fiant, vt finẽ ad quem celebrãtur, habeãt; mandamus, vt omnibus processionibus, in quibus Confraternitates interesse solent, intersit vnusquisq; sacco indutus, & facie coperta, procedendo modestè sub Gubernatoris regimine.

Quoniam verò Confraternitatum institutio maximè congruit in processionibus ad vestium vanitatem contegendam, humilitatemq; indicandam, sacco induant, quo etiam ab alijs laicis dignoscantur.

Ideo Confraternitatibus omnibus præcipimus, vt de sacco secundum suas constitutiones congruo sibi prouideant, eoque vtantur, cum ad processiones, vel mortuos efferendos proficiscuntur, aut aliquo publico munere in Ecclesia funguntur.

Locũ vnaquæq; Cõfraternitas secundũ ordinẽ suæ fũdationis in processionibus habeat; etsi præcedẽtia loci inter eos discrimẽ eueniat, Vicarius Generalis in hac Ciuitate eos cõponat; in alijs verò locis Vicarius Foraneus; ità quod Cõc. Trid. seß. 25. c. 13.

pro

pro illa vice neutri præiudicium fieri intelligatur; deindè verò ad Nos partes recurrant, vt per ſententiam, cauſſæ cognitio, quod iuſtum eſt, terminetur.

Habeat vnuſquiſque veſtes ſuo ordini, & dignitati congruentes; & bini ſecundum gradus, & ordinis conditionem, Crucem præcedentem ſequantur, debito interuallo inter eos grauiter, deuoteq; gradiantur abſq; confabulationibus, omiſſisq; curioſitatibus; Pſalmis, & Hymnis, & reliquis ſacris precibus ſedulò dent operam; memores ſe coram oculis cuncta cernentis Maieſtatis, cunctiſque Angelicis agminibus ita procedere.

Edendi verò, atque bibendi abuſum omninò de medio tollant.

Nouas proceſſiones ſine noſtra ſpeciali licentia, ex legitima, aut pia cauſſa concedenda fieri prohibemus. Cæteræ autem poſt Solis occaſum nullo modo, niſi per Nos diſpenſatum fuerit, permittantur.


Præcipimus laicis omnibus, quicunque illi ſint, vt Clericis nullo modo ſe intermiſceant; vtq; mulieres à viris ſeparatim incedant; quod ſi ſecùs fiet, arbitrio noſtro punientur.

DE



DE FORO ARCHIEPISCOPALIS CVRIÆ IVDICIALI.

PARS QVINTA



DE ARCHIVIO. Cap. I.



Vmmoperè cupientes, vt in Foro nostro iudiciali omnia, quam minimis subditorum incommodis, atq; sumptibus agantur; mandamus, vt quilibet Officialis ea, quæ sibi curæ sunt, agnoscat. vt Officiales nostri eorum iura iuxtà Pandectarum nostrarum formam, & non aliter exigant, sub pœna priuationis officij, & ad dupli restitutionem. Pandectæ verò copia in Curia nostra Archiepiscopali manu nostra subscripta, affigatur.

Cæ-

Cæterum, Vicarius noster Generalis curam habeat semel in hebdomada in die Mercurij Assessorem, Procuratorem, Fiscalem, Notarios, reliquosq; Officiales conuocandi, ad visitandos eos, qui carcere detinentur, & omnes alias caussas ad Fiscum spectantes, agnoscendas.

Custos verò carcerum, eo tempore omnes vinctos (nemine excepto) teneneatur præsentare, vt omnium personarum iura illibata seruentur, qui coram quæcunque ad sui defensionem faciunt, exponant. Adsit autem pauperum Aduocatus, qui de statu alicuius caussæ sibi commissæ plenè edoceat.

Vicarius, & Iudex Ecclesiasticus indifferenter iustitiam omnibus administrabit; præcipuè pauperibus, & miserabilibus personis se promptos, & faciles præbeát; ac omnes caussas quanta possunt breuitate expediant; & litibus calumniatorum dilationibus finis imponatur: neque muneribus, aut fauore, aut odio retardentur; & præsertim alimentorum, mercedũ, piorum locorum, & huiusmodi, quæ moram non patiuntur.

Procuret Magister Notarius ordinarius Curiæ nostræ Archiepiscopalis, quod omnia acta, litteræ, ac etiam memorialia statim ac ad ipsum

per-

peruenerint, in libris adſcribantur, & regiſtrentur, & partibus non tradantur, quouſque non ſint regiſtrata. Quod ſi ſecùs compertum fuerit, ipſe Magiſter Notarius puniatur.

DE CONCVBINARIIS, Cap. II.

CVM turpiſſimum ſit, nè dum vxoratis, ſed ſolutis etiam quouis modo illicitos quærere amplexus; præſertim verò ipſis obſtinato animo adhærere, ac in grauiſsimo concubinatus crimine perſeuerare: ideò præſenti Conſtitutione Synodali ſtatuimus, vt quicunq; cuiuſcunque ſtatus, dignitatis, & conditionis exiſtant, qui in proprijs, vel alienis domibus concubinas alunt, aut retinent, infrà dies nouem, tres pro primo, totidem pro ſecundo, ac tres pro vltimo, ac peremptorio termino illas à ſui conſuetudine ſeiungant; qui non paruerint, & in concubinatu permanſerint, ſciant excommunicatione puniendos eſſe, iuxtà Sacrorum Canon. & Tridentini Conc. ſanctiones, nec non vltrà vnciarum vigintiquinque pijs locis Archiepiſcopi arbitrio applicandarum, alijſque pœnis ſeuerè puniantur.

Cõc.Trid. ſeſſ. 24. c. 8. de ref.

Cõc.Trid. ibidem.

Mulieres verò cuiuſcunque generis, quæ cum concubinarijs huiuſmodi miſerabilem

vitam viuunt, si infra eundem terminum non resipuerint, vncias soluant quindecim, & contrà eas procedemus ad capturam, fustigationem, & alias pœnas, ac etiam extrà nostram iuridictionem eijcientur.

Quoniam verò in tantum creuit hominum malitia, vt neque sacrosanctæ Quadragesimæ tempore abstineant, immò etiam sacratioribus Paschæ diebus eas alant, ac retineant; vt huic tanto malo, opportuno remedio prouideatur, statuimus, vt si quis à die Dominico Palmarum, vsque ad Dominica in Albis inclusiuè; & in Nocte Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi concubinæ, vel alicuius meretricis domum nocturnis horis, siuè etiam diurnis adierit, seuerè arbitrio nostro puniatur.

Cōc. Trid. sess. 25. c. 14. de ref. Circa Clericos verò, qui impudicitiæ sordibus, immundoque concubinatu versantur, ad continentiam, vitæq; honestatem reuocandos, ea ratione procedendum est, quæ continentur in Sacris Conc. Trident. decretis.

Adulteros grauiori pœna plectentes, quod non solum sibi ipsis, sed alijs deteriorem committendi occasionem præbeant, fœdus maritale violando; statuimus, si de tali crimine conuincti fuerint, pœnam vnciarum viginti quinque pijs operibus applicandarum illis incurrendam,

dam, & carceratione arbitrio nostro puniendos.

Lenones, quorum blanditijs,& suasionibus, mulieres sollicitantur,&ad peccatum inducuntur; si subductæ mulieres fuerint maritatæ,pœnam publicæ fustigationis plectantur; si verò meretrices fuerint, à Ciuitate, & Territorio exulabunt; si verò mares sint tales lenones,pœnas triremium arbitrio nostro incurrant. Etsi maritus propriam vxorem, & pater filiam, frater sororem ad hoc inducat, vltrà dictam pœnam, secundum qualitatem culpæ, arbitrio Archiepiscopi punientur.

Mulieribus maritatis iniunctiones de non conuersando; monitiones autem priuatim, si sinè scandalo fieri potest, fient; eis grauitatem peccati, & periculum, cui se exponunt demonstrando: si verò maritus consentiret, & in culpa esset, vt vxor eius adulterium committeret, mulctetur mulier,ab adultero saparetur,& maritus publicè fustigetur.

Carcerari aliquo modo mulieres publicis carceribus prohibemus, nè caussa vnius peccati vitandi, maiora, & plura committantur; magis expedit, vt eæ domibus priuatorum honestæ vitæ, non suspectorum, aut in hospitali sub iniunctione, vel cũ alia cautela relaxentur.

DE VICARIIS FORANEIS.
Cap. III.

VLtra Constitutiones in Diœcesana Synodo per Ludouicum Primum de Torres, & Secundum, Antecessores nostros fœl. rec. editas, & in præsenti Diœcesana nostra Synodo confirmatas has præsentes edicimus.

Curabunt diligenter Vicarij prædicti, vnusquisque in sua Diœcesi, pro vt eorum postulat officium, vt hæ nostræ Synodales Constitutiones, necnon Visitationes per nostrum Vicariũ, & Visitatorem generalem factæ, ac faciendæ seruentur ab omnibus, ac debitæ executioni mandentur.

In his, quæ ad eorum officium spectant, vtantur opera, & consilio Assessoris Curiæ per Archiepiscopum designandi; semel in hebdomada conueniant, accersitis Magistro Notario, cæterisque Officialibus, prout ipsis expedire videbitur. Res omnes diligenter inspicient, prouisiones rerumque deliberationes quo ad ciuiles caussas ea forma conficiantur, vt de Vicarij mandato ad relationem Assessoris emanent; caussasq; ciuiles vb vncijs quatuor tãtum determinent; etsi eam summam excesserint, ad Vicarium Generalem emittant.

Neuè etiam debita merces iuxtà merita cui-

cuique denegetur, taxationem Archiepiscopalis Curiæ sequantur, vltrà quam, nec quicquam omninò exigant, nec etiam spontè oblatum accipiant.

Cæterum, circa ordinationes, iniunctiones, processus rerum criminalium, & ciuilium cedulas, cæterosque actus iudiciales summoperè caueant, vt minimò, quantum potest, litigantium incommodo pertractentur, & determinentur.

Ecclesiæ verò vacanti, aliquem suæ regionis Sacerdotem idoneum substituat, dum ipse Archiepiscopum defuncti morte certiorem facit per dies decem.

Edicto publicè proposito ex mandato Illustrissimi Archiepiscopi, vt ex Concilij Trident. decreto fieri solet, expectantur ad examen ij, qui ad Parochialis Ecclesiæ gubernationem se se offerunt, & vnus aliquis ex eorum numero maximè idoneus ab Archiepiscopo eligitur, Ecclesiæ illi præficiendus.

Cum Edictum de sacris Ordinibus conferendis statutis temporibus, in eam ipsi præcipuè curam incumbant, vt quæ inquisitione diligenti de Clericorum vita, & moribus cognouerint per secretas litteras Episcopo quam primum, & fideliter significent.

Ar-

Archiepiscopum in rebus difficilioribus, cuius auctoritate, & consilio niti debent, frequenter consulant: non solum de his exequendis, quæ vel in hac Diœcessana Synodo decernuntur, vel peculiaribus mandatis significantur; sed etiam in rebus omnibus, quæ ad id præstandum, & ad Cleri, populique mores corrigendos sanctè, pieque viuendum vsui, atque documento esse possint.

In administratione sui officij illos sæpè eligat, & apud se detineat, quos cæteri omnes sequantur, ac imitentur morum integritate, virtutum officijs, vitæque consuetudine.

DE VISITATIONIBVS. Cap. IV.

DEbitum illud, ac plenè necessarium visitandi munus quod ex Concilij Tridentini decreto Episcopis omnibus singulis annis ad perlustrandas suas Diœceses præscribitur, quod per Nos ipsos aliqua legitima occupatione, caussaue occupatos nequando obire nequimus, per Visitatores aliàs huius rei vsu peritos, atque idoneos, qui visitationis officium, sedulò (vt par est) exequantur, præstare curabimus.

Cōc Trid. sess. 24 c. 3. de ref.

Ad faciliorem igitur visitandi modum Visita-

ſitatori noſtro pro tempore exiſtenti, cum per Nos ipſos Diœceſis noſtra luſtrari minus poterit; hæc præſcribimus in primis; vt laicorum hominum hoſpitia, ac multo magis conuiuia fugiat; comitatum non habeat, niſi neceſſarium, modeſto contentus famulatu; viſitationem præcipuè eſſe ſcopum, ſanam doctrinam inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere, populum cohortationibus, verbo, & exemplo ad religionem, pacem, & innnocentiam inflammare. Nè autem oneroſus ſit, ſtudeat, quam celerrimè, debita tamen cum diligentia viſitationem abſoluere.

Viſitator, poſtquam ad locum viſitandi aduenerit, prima occurrenti die feſtiua prohibeat, alibi quam in Maiori Eccleſia Miſſas celebrari; vt in ea congregato populo, ipſe aſſiſtat, & inter Miſſarum ſolemnia, vel ſi fieri poteſt in prædicando, edicta viſitationis alta voce publicare faciat, eiſque perlectis, Miſſa, vel Concione expleta, Sacrarium vbi Santiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum reponitur, & olea Sancta conſeruantur viſitet; aſſumpta tamen ab eo cotta, & ſtola, ac pluuiali, candelis, facibuſque cereis accenſis, & duobus alijs Sacerdotibus cottis indutis aſſiſtentibus, quorum alter ſit Archipresbyter, vel Curatus.

Curet, vt in vase argenteo decenter Santissimum Sacramentum conseruetur, & fragmenta non adsint, nec quid indecens in sacrario reponatur, & subtus custodiam Sanctissimi Sacramenti, & vasis, quod defertur pro particulis conseruandis pro infirmis adsit corporale, & altare leuatile consecratum; negligentes autem id obseruare seuerè puniat.

Fontem baptismalem, & sacrarium videat, nè quid immundũ proijci possit in eis; & quæ de Sacramento Baptismi, & Eucharistiæ statuimus, obseruari faciat, omni oppositione remota; contra facientes verò acriter puniat.

Altare Maius, & cætera Altaria, vbi Missæ celebrantur, diligenter prospiciat, vt sit in locis congruis benò ornata, & commoda, vt nè dum in eis deuotè celebrari possit; sed etiam per astantes Missæ sacrificium respici, & audiri valeat. In quo præter alias Sanctorum imagines, Crucifixi semper adsit imago; plura autem Altaria vicina, & quasi coniuncta minimè permittantur.

Defectus verò reperti circa conseruationem Sacrosánctæ Eucharistiæ, & circa Olea sacra, Fontem Baptismatis, Reliquia Sanctorum, Sacrarium, Calices, Corporalia, & alia huiusmodi ad vsum cultus Diuini pertinentia, nec non

circà

circà Altaria, & scripturas Ecclesiarum, & id genus alia; ita hic per Notarium adnotentur, vt matura deliberatione habita, quamprimum fieri poterit, prouideat.

Inquirat de Presbyteris, & Clericis, an ritè sint ordinati, an resideant in proprijs muneribus, & oneribus satisfaciant, quæ sit eorum vita, vestitus, tonsura, conuersatio, morum honestas.

His perquisitis, cognoscere studeat omnia, & singula bona, & reditus Ecclesiarum, inuentarium quoq; omnium bonorum Ecclesiarum conficere procuret.

Inspiciatur quoque an Parochus, seu Rector Ecclesiæ habeat librum sacerdotalem, rituale de Sacramentorum administratione?

An etiam adsit liber distinctus, in quo nomina compatrum in Baptismo ordinatè scribantur, & dies, horæque notentur, vt superius dictum est.

An adsit liber, in quo scribantur eorum nomina, qui tempore debito, scilicet Paschali, præmissa confessione sacramentali communicant, & eorum, qui id facere neglexerint.

An sit liber pariter, in quo scribantur dies, & nomina matrimonium in facie Ecclesiæ contrahentium.

Animaduertere quoque debet Visitator, an omnes prædicti libri sint integri benè compacti, & eorum exempla ad Archiepiscopum Metropolitanum transmitti faciat.

Inquirendum est etiam, an sit diligens in administrandis Sacramentis subditis sibi commissis, suis temporibus,

An aliqui fuerint ita in administrandis Sacramentis remissi, vt sua negligentia absque Baptismo, vel Pœnitentia, aut Viatico, seu Extrema vnctione è viuis aliquis decesserit.

Visitator quoque examinet Abbatissam, aut quocunque alio nomine Præpositam semotim, & secretè, seruato tamen decoro, & deinde singulas moniales de earum numero; etsi sint plures, vel pauciores, quam Monasterij exigit

Sess. 25. c. 21. institutum, vel sufficiunt facultates iuxtà Conc. Trident. constitutionem. Ac de cæteris omnibus, quæ in eadem sessione de Regularibus continentur.

Inquirat etiam, an in Monasterijs monialium seruetur perpetua clausura, iuxtà Constitutionem Pij V.

Prouideat etiam, vt moniales spiritulibus exercitijs nutriantur, cohibeanturque ab omnibus sæculi vanitatibus; præsertim à vanis, & inutilibus colloquijs; nec permittantur ad cra-

tes accedere, nisi consanguinei; nec vllo modo præter Officiales, & Prælatos in die, in quo Santissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint; vt suprà in titulo de monialibus ordinatum fuit.

Videatur quis sit earum Confessor, an sufficiens ad eas in viam Domini dirigendas; qui non vltra triennium in audiendis monialium confessionibus permaneat.

Inquirat circà monialium victum, vestitũ, communem vitam, mores, profectum spiritualem, atquè alia similia, prout ex regula, & constitutionibus Ordinis, vel Monasterij; nec non ex ipsa visitatione necessarium, & opportunum visum fuerit.

In populo autem despiciat, num sint Hæretici, Vsurarij, Concubinarij, Venefici, an ieiunia seruent, festasque dies colant, an legata pia exequantur, an Ludi Magistri fidei professionem emisserint.

Denique omnem diligentiam adhibeat, non solum in Ecclesiarum cultu tuendo, augendoque, sed maximè in Cleri, & populi disciplina tuenda, restituendaque.

Visitet etiam Oratoria priuata, an bene, & secundum formam iuris instituta sint; si benè tractentur; ita etiam omnes Confraternitates

-rastorum, Operas pias, Hospitalia; fiatque inuentarium ipsorum bonorum, & redituum, ipsumque inuentarium sit solemniter factum; videat cōputa introituum, & expensarum; recipiat quoque iura pro tali visitatione, quæ sibi competunt.

Expleta visitatione, ea, quæ constituta erunt, Rectori, cuius interest relinquantur; & quamprimum fieri potest, in executionem inducantur.

DE SYNODO DIOECESANA. Cap. V.

Sess. 24 c. 2. de reform.

CVM ex speciali mandato, & facultate Nobis ex Sacrorum Canonum, & Sacri Concilij Trident. præscripto concessa, Diœcesanam Synodum celebrare intendamus; volumus; vt in singulos annos in Ecclesia Cathedrali de suggestu sacro die Epiphaniæ populo denuncietur, & aliquot ante diebus ad Diœcesis nostræ Archipresbyteros, & Vicarios statuta die per litteras edicatur; item supplicationes, & preces peragantur.

Pō. Rom

Statuentur etiam Ecclesiastici homines, qui coram interesse debent, caussam, rationemq; absentum cognoscant, & præstituto ab Archiepiscopo tempore querelas, controuersias, ac

accuſationes omnes audiant, & Archiepiſcopo referant.

Pridie illius diei in omni Eccleſia Ciuitatis ſolemni campanarum ſono ſignificabitur.

In ipſo die Clerus omnis ſecularis, & regularis in ædibus Archiepiſcopi conueniat, illum in Eccleſia proceſſionali ritu comitaturus.

Cæteraque ſuo ordine fient, tam quæ ad Fidei profeſsionem emittendam attinent, quam ad decreta Sacri Conc. Trident. & Conſtitutionum Synodalium perlegenda.

Præponentur etiam examinatores, ac teſtes Synodales, & iudices ad cauſſas delegati. *Cōc. Trid ſeſſ. 24. c. 18. de reform.*

Quia verò Synodali celebritati triduum veteri ritu perſiſtendum eſt. Archiepiſcopus pro rerum, quæ gerendæ ſunt ratione breuiori, aut longiori tempore Synodum agat; Quapropter monentur omnes, & ſinguli, qui Synodo intereſſe debent, nè ſub excommunicationis pœna, quiſquam ipſorum à Ciuitate diſcedat ſine licentia Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini Archiepiſcopi, ſed ſeſſionibus quibuſcunque interſint, prout eis intimabuntur. *Cōc. Trid ſeſſ. 25. c. 10. de reform.*

Intereſſe autem debent Canonum pœnis Præpoſiti, Dignitates, Canonici, Priores, Rectores, Archipresbyteri, Vicarij, tum cæteri, ad quos de iure, vel conſuetudine ſpectat.

Exem-

Seß. 24. c. 12. Exempti etiam omnes, qui aliàs cessante exemptione interesse deberent.

Monentur itaque omnes, & singuli, vt tam in Synodo, quam extrà Synodum, in domibus, & extrà domos honestè se habeant, adeò vt eorum conuersatio meritò sit cæteris in exemplum; qui contrafecerint, grauiter arbitrio nostro punientur.

DE EXAMINATORIBVS *Synodalibus.*
Cap. VI.

QVia ex Sacri Concilij Tridentini decreto, tenemur in hac præsenti Synodo nominare, ac deputare examinatores Synodales pro examinandis ijs, qui ad obtinendas Parochiales Ecclesias accedunt; Ideo hoc Nos decretum exequi cupientes, proponimus vobis hos præsentes Examinatores.

Ex Sæcularibus.

D. Gabriel de S. Stephano Licentiatus, & Vicarius Generalis.

D. Franciſcus Raine-rius Archidiaconus, & Abbas S. Annæ.

D. Vincentius Viola Decret. D. Canonicus, & Parochus.

D. Marcus Collarus Canonicus, & Parochus.

D. Franciſcus Galuanus Canonicus, & Parochus.

D. Franciſcus Sala Canonicus, & Pœnitentiarius.

D. Antonius Pegginus Canonicus.

D. Petrus Caſtagna Canonicus.

Ex Regularibus.

D. Baſilius à Parma Abbas S. Ioannis Heremitarum, & Prior huius Metropolitanæ Eccleſiæ.

D. Seraphinus Angotta à Meſſana Prior Caſinēſis, & Primus Decanus huius Metropolitanæ Eccleſ.

D. Vincētius Salernus à Luceramo Decanus Caſinēſis, & Maior Sacriſta huius Metropolit. Eccleſ.

P. Vincentius Galletti Rector Collegij Societatis IESV huius Ciuitatis.

P. Gaſpar Turriſi eiuſdem Societatis.

Fr. Ludouicus à Calatanixetta Ordin. Carmelitarum.

Ego

Ego N. Synodalis Examinator ab Illuſtriſſimo, & Reuerendiſsimo Domino Archiepiſcopo, & à Synodo approbatus, promitto, ſpondeo, iuro, quod omni ſpe, metu, præmio, & humana affectione remotis, munus meum ritè adimplebo; & ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Qui Examinatores Synodales in ſuo officio hæc, quæ ſequuntur ex Conc. Trid. decreto obſeruare meminerint.

Antequam examen agrediantur, præmittát ſemper Hymnum Veni creator ſpiritus, cum Oratione Deus; qui corda fidelium, &c.

Nihil dono ab examinandis accipiant, nec ante, nec poſt examen, quamuis illud minimũ ſit, nè in ſimoniæ labem, tùm ipſi, tùm examinandi incidant.

Nullus Examinator audeat docere ea, de quibus ſcit, vel putat eos eſſe interrogandos, neque illos cæteris Examinatoribus, verbis, aut nutibus commendare; quod ſi in prædictis negligenter, aut malè ſe vllo modo geſſerint, ſciant ſe Deo culpæ in eo munere admiſſæ exactam rationem reddituros.

DE IVDICIBVS SYNODALIBVS. Cap. VII.

Bonifacij Papæ VIII. ſtatutum, quo cauetur, vt nullis, niſi dignitate prædi-tis, aut perſonatum obtinentibus, ſeu Eccle-ſiarum Cathedralium Canonicis, cauſſæ litte-rarum auctoritate Sedis Apoſtolicæ, vel lega-torum eiuſdem de cætero commitantur exe-quentes ex eiuſdem Sacri Concilij Tridentini decretu has vobis perſonas proponimus, & no-minamus, quibus cauſſæ Eccleſiaſticæ in parti-bus delegandæ committentur, quos omnes ad-monemus, vt terminandis cauſſis quanta fieri poterit breuitate ſtudeant; ac litigatorum arti-bus, modis omnibus occurrant.

Don Gabriel de Sancto Stephano Licentiatus, & Vicarius Generalis.

Don Franciſcus Rainerius Archidiaconus, & Abbas Sanctæ Annæ.

Don Gulielmus de Neapoli Canonicus, & Pa-rochus.

Don Hieronymus Santi Canonicus, & Paro-chus.

Don Vincentius Viola Decret. D. Canonicus, & Parochus.

Don Marcus Collaro Canonicus, & Parochus.

Don Franciscus Franchina Canonicus, & Parochus.

Don Franciscus Galuanus Canonicus, & Parochus.

Don Petrus Castagna Canonicus.

DE TESTIBVS SYNODALIBVS. Cap. VIII.

Cap Sicut olim. de accusatio.

AD euitandas pœnas propositas in Concilio Lateranensi ab Innocentio III. ijs, qui testes in Synodo nullos nominarint; & vt tam salutare, ac probatum institutum iam intermissum restituatur huic muneri, proponimus infrascriptos, quorum officium erit diligenter animaduertere, an in hac nostra iurisdictione, vel in Ecclesijs ipsi subiectis aliquod corrigendum, emendandumque sit. Quod si cognouerint ad Nos, siue ad Vicarium nostrum, quoties opus fuerit, fideliter referant; vt scientes spirituales necessitudines, & ægriudines, facilius eis remedia præstare possimus.

D. Gulielmus de Neapoli Canonicus, & Parochus. } Monte Regali.
D. Hieronymus Santi Canonicus, & Parochus. }

D. Vin-

D. Vincentius Frmatura Vicarius, & Archipresbyter. D. Bartolus Firmatura Canonicus.	Corleone.
D. Franciſcus de Auguſtino Vicarius. D. Franciſcus Aucello Archipresbyter.	Buſacquini.
D. Ioſeph Saporitus Vicarius Foraneus. D. Philippus Græcus Archipresbyter.	Brontte.
D. Andreas Caſeſi Vicarius, Archipresbyter. D. Ioſeph Matranga.	Planæ.

Eos igitur, quos præſenti Synodo nominamus, allatis Santiſſimarum Reliquijs vnumquemque illorum Sacramento ab Eutichiano Papa inſtituto obſtringimus.

Ego N. Teſtis Synodalis ab Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Archiepiſcopo nominatus, ſpondeo, & iuro, quod à modò in antea quidquid noui, aut audiui, aut poſtmodum inquiſiturus ſum, quod contra Dei voluntatem, & re- *35. q. 6. cap. Epiſcopus in ſynodo.*

ctam Christianitatem in loco mihi commisso factum sit, aut futurum erit, si in diebus meis euenerit tantum, vt ad meam cognitionem quocunque modo perueniat; si sciuero, aut mihi fuerit indicatum synodalem caussam esse, & ad Ministerium Archiepiscopi pertinere, quod Ego nec propter amorem, nec propter timorem, nec propter pretium, nec propter parentelam, vllatenus cælabo Archiepiscopo, aut eius misso, cui hoc inquirere iusserit, quandocunq; me ex hoc interrogauerit, sic me Deus adiuuet, & hæ Santissimarum Reliquiæ.

DE RECIPIENDIS, ET OBSERVANDIS *Constitutionibus Synodalibus.* Cap. VIIII.

EA, quæ à Nobis in hac Synodo acta, & decreta sunt, ab omnibus inuiolabiliter obseruari mandamus post quindecim dies, à die, quo fuerint impressa, sub pœnis in constitutionibus contentis; & vbi pro illarum obseruatione nulla fuit imposita pœna, eo casu, contra transgressores, & inobedientes, pœnis à sacris Canonibus, & alijs arbitrio nostro pro delictorum, & personarum qualitate animaduertemus.

Mandantes omnibus ad quos spectat, vt eadem

dem penès se habeant, & contrà violatores eiusdem Synodi procedetur ad condemnatio- nem pœnarum in ea contentarum; & ad illo- rum executionem reiectis quibuscunque igno- rantiæ excusationibus.

Omnia pariter, & singula, quæ in præsenti synodo statuta, & decreta sunt, ea cum omni reuerentia, & humilitate iudicio, & auctoritati S. R. E. aliarum Ecclesiarum Matris, & Ma- gistræ semper emendanda libentissimè subijci- mus; & ad Dei Omnipotentis gloriam, anima- rumque Nobis commissarum salutem. Amen.

INDEX CAPITVM QVÆ CONTINENTVR

In Quinque huius Synodi Partibus.

PARS PRIMA.

De Fide Catholica profitenda, docenda, atque tuenda.

PARS SECVNDA.

De Sacramentis.

PARS TERTIA.

De Cultu Diuino.

PARS QVARTA.

De Diſciplina Eccleſiaſtica.

De

PARS QVINTA.

De Foro Archiepiscopali Curiæ Iudiciali.

FINIS.

